QVAESTIONES HOMERICAE

SCRIPSIT

OSCAR MEYER.

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM

MDCCCLXVIII.

QVAESTIONES HOMERICAE

SCRIPSIT

OSCAR MEYER.

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM

MDCCCLXVIII.

Nomen Ἴλιος in numerum earum vocum esse redigendum, quae apud Homerum digammo erant instructae, iam intellexerunt omnes viri docti, qui de hac litera spiranti eiusque usu in carminibus Homericis quaestionem instituerunt, cum ad literam Aeolicam confugerent, ut metricas difficultates, voce Ἴλιος ortas, removerent. Sic Hoffmannus (Quaestiones Homericae II. 28) et Peters (Quaestiones etymologicae et grammaticae de usu et vi digammatis eiusque immutationibus in lingua Graeca Berol. 1864) p. 20 F nomini Ἴλιος tribuerunt, atque Bekkerus in altera carminum Homericorum recensione, digamma, quo Ἴλιος instruxit, in textum recepit. Sed cum e linguarum cognatarum comparatione nondum allata sint gravia argumenta, quibus sententia eorum, qui digamma huic voci infuisse dicunt, firmetur, de huius nominis origine accurate agere mihi liceat; constat enim, literam spirantem, quae est labialis, tum demum in initio vocum iustum ac certum locum obtinere, cum argumenta, quae e re metrica repetita huic literae favent, derivatione etymologica, linguis cognatis adiuvantibus confirmentur.

Si rationem habemus rei metricae, qualis est apud Homerum, multae extant causae, quae nos movent, ut vocem Ἴλιος a litera spiranti inchoavisse statuamus. Efficit enim hoc nomen, quod in Iliade centum quinque locis legitur, in fine pedis tertii vicies hiatum, qui non ex ipsa versus sede iustam nanciscitur excusationem, cf. προτὶ

Ἴλιον Γ 305, 313. Z 113. Θ 295. 499. M. 115. N 724. Ξ 46. Π 92. P 396. Σ 174. T 156. Φ 561. Ψ 64. Ω 330. *ὑπὸ Ἴλιον* Ψ 297. *ὅτε Ἴλιον* E 210. Z 461. Φ 81. 156, quibus duobus locis legimus *ὅτε Ἴλιον* pro *ὅτ' ἐς Ἴλιον*. *κατὰ Ἴλιον* Θ 131. In fine pedis quarti, qui versus locus Hoffmanno duce (cf. *I* p. 90) hiatui iustissimum affert auxilium, semel et vicies eadem vox brevem syllabam in literam voçalem desinentem excipit cf. *B* 216. 249. 673. Δ 46. 416. Z 403. H 82. 413. 429. Θ 551. 561. K 12. N 657. P 159. 163. 193. Φ 442. 515. Ω 27. 145. 383. Eandem metricam difficultatem etiam invenimus in fine pedis primi, quae versus sedes eodem Hoffmanno teste (*I* p. 91.), hiatui veniam dat, cf. Φ 295. *πρὶν κατὰ Ἰλιόφιν*. Longae syllabae in vocalem literam aut diphthongum exeuntes productionem ante *Ἴλιος* servant, quod nobis maximae offensioni esse debet, praesertim cum thesis locum obtineant. cf Z 478. 493. Δ 164. Z 96. 277. 448. Y 216. P 145. (cum Bekkero[2] lege *λαοῖς, οἳ Ἰλίῳ* pro *λαοῖσι, τοὶ Ἰλ.*). Ω 67 (*οἳ Ἰλίῳ εἰσίν* pro *ἐν Ἰλίῳ εἰσίν*). Accedit, quod praepositio *ἐς* ante *Ἴλιος* productam se praestat Δ 196, 230. N 175. O 169. 550. Ω 143. neque aliter res se habet X 17. ubi *πρὶν* producitur. Praeterea *ν ἐφελκυστικῷ* deleto, *Ἴλιος* locis, qui sunt E 648. Ξ 251. Σ 58. 439, digamma amplectitur; idem est in initio versus, ubi hoc nomen locis triginta quinque legitur: B 113. 133. 288. Δ 33. E 551. 642. 716. Z 60. 74. H 20. 31. Θ 288. I 20. 49. 402. 419. 686. N 380. 717. 773. O 66. 71. 215. 558. Π 576. P 320. 328. 337. Σ 327. Φ 104. 433. 588. X 6. 441. Ω 620. Sexies vox nostra literam Aeolicam prorsus aspernatur. E 204. Z 386. H 345. N 349. Σ 270. Φ 128.

Locorum numerum si consideramus, literam spirantem in voce *Ἴλιος* valuisse dicamus necesse est; haec enim litera sola prohibere poterat, quominus ne uno quidem loco in Iliade elisio earum praepositionum, quae in vocalem desinunt, inveniretur. Si quaerimus, quae fuerit illa

litera initialis, argumenta, quae e linguarum cognatarum comparatione afferam, vocem Ἴλιος a digammo inchoavisse demonstrabunt. Itaque cum quaestionem de origine nominis Ἴλιος suscipiamus, primum nobis statuendum est, epitheta, quibus ornatam hanc vocem in Iliade invenimus, ad nostram quaestionem illustrandam non multum valere, cum sint eiusmodi, ut ex eorum natura et notione nihil certi de nomine Ἴλιος concludere possimus. Sunt enim haec: αἰπεινή (*I* 419. 686. *N* 773. *O* 215. 558. *P* 328). ἱρή (*Δ* 46. 164. 416. *E* 648. *Z* 96. 277. 448. *H* 20. 82. 413. 429. *Λ* 196. *N* 657. *O* 169. *P* 193. *Y* 216. *Φ* 128. 515. *Ω* 27. 143. 383). ἠνεμόεσσα (*Γ* 305. *Θ* 499. *M* 115. *N* 724. *Π* 92. *Σ* 174. *Ψ* 64. 297). ὀφρυόεσσα (*X* 411) εὐτείχεος (*B* 113. 288. *E* 716. *I* 20). Id unum his adiectivis ostenditur, Ilium fuisse urbem in alta terrae regione sitam atque muris circumdatam; neque magis verbis Prelleri (Gr. Mythol. II. p. 375): *Der Name Ilion scheint nur eine örtliche Bedeutung zu haben, dagegen der von Troia auf den Volksstamm der Troer deutet,* in radice, quae sub nomine Ἴλιος occulta est, enucleanda adiuvor, cum eius argumentatio certo fundamento careat. Itaque aliam viam ingressus ad veram originem huius nominis pervenire conabor.

Iam quicunque in rebus mythologicis populorum Indo-Germanorum examinandis versatur, summum argumentum, quod antiquis carminibus epicis singulorum populorum continetur, mythos amplecti concedet, quibus postea adduntur descriptiones earum rerum, quas populi re vera gesserunt. Illos autem mythos si per se atque a descriptione aliarum rerum separatos consideramus, antiquissimis temporibus tantum viribus, quae sub natura latent, illustrandis inservire, nostra aetate satis constat, cum mythologia comparativa a vedicis illis hymnis, quos Indi nobis servarunt, profecta, satis certis argumentis hanc sententiam firmaverit. Primum dei singulis viribus naturae substituuntur, quibus substituti posteaquam homi-

nes legem et moralem et naturalem nullo omnino descrimine alteram ab altera separatam esse senserunt, etiam ad principia ethica repraesentanda adhibentur. Non aliter res se habet in lingua humana, quae eisdem vocibus, quibus primum res, quae ad naturam pertinent, describit, ad res, quae tantum cogitatione concipi possunt, designandas, utitur. Lectori in memoriam revoco voces „lux" et „tenebrae," quae, nisi ad diei naturam describendam adhibentur, notionem boni et mali amplectuntur. De illa primitiva deorum natura nihil amplius statuere possemus, nisi vedici hymni Indorum nobis servati essent, ubi antiquissimas et simplicissimas cogitationes, quibus homines deorum naturam concipiebant, invenimus. Apud Graecos vedicae poësi accurate responderet illud lyricae poeseos genus, quod ante Homeri tempora sub mythicis nominibus, Lini, Eumolpi, Orphei, aliorum floruit. Cum autem hoc primum atque antiquissimum poeseos genus, quo nobis purissima et simplicissima consideratio naturae rerum, qualis erat apud populos Indo-Germanorum, describitur, tantum ab Indis atque a Persis servatum sit, in vedicis hymnis atque in libris, qui dicuntur „Zend-avesta", multa vestigia inveniri, quae si per sequimur, etiam rebus mythologicis aliorum populorum, praecipue Graecorum et Germanorum, claram lucem afferant, non est quod miremur. In carminibus epicis, quae, post hoc primum genus lyricae poeseos composita, res mythologicas ex illis lyricis hymnis ad se recipiunt, primitiva deorum natura iam turbatam, ut ita dicam, atque confusam speciem prae se fert, cum dei a coelo ad terram revocati ita ad hominum naturam se accommodaverint, ut nobis nunquam fere divina natura deorum in animum revocetur, quia secundum humanam res gerere videntur. cf. Otfr. Müller: Prolegom. z. gr. Myth. p. 84. Homines cum deos ad terram revocent, suamque naturam sublimiore specie praeditam cum eis communicent, ad

eos tamquam auctores gentium, quibus olim in terris praefuerunt, confugiunt. Exemplum afferam, quo nullum maioris momenti esse potest ad hanc quaestionem illustrandam. E. Burnouf, princeps ille philologorum qui res Aricas tractaverunt, satis certe demonstravit, clarissima illa regum nomina, quae in epica Persarum poësi extant, Yemshid, Ferêdun, Garshasp eadem esse ac Yima-kshaêta, Thraêtôna, Kĕrĕçâçpa, qui heroes in libris, qui nominantur Zend-avesta, primum locum obtinent; neque minus certe idem vir doctus ostendit, in vedica Indorum poësi eorum heroum partes suscipere Yamam, Tritam, Kṛiçâçvam, quae nomina una cum eis, quae in lingua Zendica inveniuntur, ad eandem stirpem referenda esse constat. Quomodo autem factum sit, ut illi, quos modo dixi, vedici dei postea apud Persas regum munere functi describerentur, perlucide apparet e nomine Ferêdun. Ferêdun enim, quae vox e nomine Zendico „Thraêtôna" ita oriebatur, ut litera „th" in „ph" mutaretur (Phrêdûna), eandem stirpem prae se fert, quae latet sub sanskritico „Trita." Nomen enim „Traitana," quod semel in vedicis hymnis extat, atque a „Trita" derivatum est, voci Zendicae „Thraêtôna" intimum conexum cum sanskritico „Trita" intercedere ostendit. Hic „Trita" in vedica poësi „Âptya" nominatur, non aliter ac „Thraêtôna," qui in libris Zendicis filius „Âthwyae" dicitur. Deus „Trita" eodem modo, quo Indra, apud Indos daemonem, qui nominatur „ahi" (i. e. ἔχις) aut „vṛtra", interficit, ita ut vaccae, quae ab hoc daemone retentae erant, liberentur atque in potestatem dei „Tritae" rursus redigantur. Si quaerimus, cui rei illustrandae hic mythus inserviat, statuere debemus, hoc mytho nihil aliud describi, atque eam rem, quae eo continetur, quod fulmen nubes (hac enim sunt vaccae a daemonibus retentae) perfringit, ita ut nubibus discussis pluvia effundatur atque agri fertilitate et ubertate ornentur. Est igitur pugna lucis contra tenebras, qualis in na-

tura apparet. In libris Zendicis Thraêtôna daemonem, qui nominatur „azhi dahâka", etiam interficit; azhi autem eandem stirpem amplectitur, quae inest voci sanskriticae „ahi." Cum in vedicis hymnis vim naturalem, quae in hoc mytho valet, sinceram atque purissimam nobis servatam esse constet, in Zendica poësi ad considerationem naturae contemplationem ab ethicis principiis profectam accedere negare non possumus, quae cum paulatim sensum naturalem, qui mytho nostro antiquitus describebatur, superaret, eodem mytho usa est, ad pugnam boni malique, qua homines in terris semper sunt illigati, illustrandam. Azhi enim dahâka, qui puritatem (zd. asha) i. e. bonum in mundo delere vult, a Thraêtôna, puritatis defensore, vincitur. Iam ad epicam poësin animum advertamus, quae nobis servata est in Firdusii libro, qui est inscriptus: Shâhnâme (i. e. regum liber). Hîc Ferêdun sub tyranno, qui nominatur „Zohâk", nascitur. Quia autem Ferêdunem regno tyranni perniciem moliturum esse vates cecinerunt, Zohâk illi puero insidiis collocatis patrem filii loco interficit. Ferêdun, ut patrem ulciscatur, exercitu coacto, duce Kaweio (Kawe) contra arcem Zohâkii proficiscitur, quam, cum tyrannus non adsit, una cum illius uxoribus captam in suam dicionem redigit. Tum victor Ferêdun tyrannum, qui venit, ut arcem et uxores rursus recipiat, clava vulneratum in monte, qui dicitur Demâvend, captum tenet, cum auctore genio, qui nominatur Serosh[1]), eum interfici vetet, atque regis munere apud Persas fungitur. Zohâk tyrannus in hoc carmine easdem partes suscipit, quas in libris Zendicis obtinet Azhi dahâka, atque re vera illud nomen Zohâk e zendica voce mutilatum esse constat. Si nobis non vedici hymni

1) Ille genius in libris Zendicis „Craosha" dicitur, e quo nomine vox „Serosh" originem ducit cf. Iusti: Handbuch der Zendsprache p. 306.

et libri Zendici servati essent, ex hac epica descriptione colligeremus necesse esset, regnum Persarum re vera olim alieno tyranno auctore rebus angustis impeditum fuisse, quae calamitas eo removeretur, quod iustus dominus Ferêdun, cum tyrannum delevisset, regnum recuperaret. Sed ut memoriam rerum re vera gestarum hoc carmine contineri negemus, monent nos clarissimi vedici hymni, quibus quid de nominibus „Ferêdun“ et „Zohâk“ iudicandum sit, clare perlucideque ostenditur. Sic epos a coelo ad terram revocatur! (cf. R. Roth. in Ztschr. d. deutsch. Morgldisch. Gesellsch. Bd. II p. 216 sq.) Eodem modo apud Latinos deus Saturnus rex describebatur cf. Preller: Röm. Myth. p. 410, quamquam Saturnum in Latio easdem vices gessisse satis constat, quas in vedica poësi deus Solis „Savitar“ suscipit. Habemus enim in lingua sanskritica radicem „su,“ quae in duo verba diffluit. Alterum „su“ (savâmi) sensum gignendi et animandi amplectitur; alteri inest notio somam exprimendi; quia enim paratio libaminis, quod dicitur „soma,“ hominis procreationi comparatur, illud verbum su (sunômi) hanc nactum est significationem cf. Benfey: Glossar. z. Sam. Ved. p. 196. Verbum igitur su, savâmi notionem gignendi ita describit, ut omnium rerum ratio habeatur, cum verbo su, sunômi, hanc notionem, ad certam rem spectantem, contineri constet. Ut autem haec duo verba ad eandem radicem referenda esse statuamus, nos movet lingua Zendica. Hîc unum verbum „hu, hunomi,“ notionem gignendi et somam exprimendi amplectitur cf. Iusti: Handb. d. Zdsprache p. 326. Itaque cum ad verbum „su,“ (sunômi) — hoc enim cum praepositione abhi coniunctum etiam „adspergere“ significat — Graecum ὕειν pertineat (cf. Curt. Grdzüge p. 353), Pottium secuto mihi persuasum est, sensum primitivum radicis „su,“ a qua „savâmi“ et „sunômi“ derivantur, fuisse: „humorem emittere“ cf. Kuhn Ztsch. VI. p. 365. Atque haec duo verba ex eadem radice originem duxisse, etiam

etymologica, quam proponemus, derivatione vocis „Saturnus“ confirmatur. In lingua Indica nomen dei solis est: „Savitar,“ quae vox eadem ratione, qua „bhavitar“ a „bhu,“ a radice „su“ derivanda est (cf. Panini I, 1. 6). Hoc nomen nihil aliud describere vult quam facultatem dei, omnia animalia procreandi, procreatis vigorem addendi, atque homines salute et felicitate afficiendi in rebus, quae ad agriculturam atque ad victum cibosque comparandos pertinent. Nostrates nomen vertant „Beleber“ i. e. „admonitor operum“ (Ovid). Easdem vices in Latina mythologia gerit Saturnus. Idem est sol, qui efficit, ut segetes incrementa capiant. Itaque Prellerus: Röm. Mythol. p. 409 recte disputat: *Ist Ops deutlich genug die gütige Mutter Erde, so ist Saturn ebenso deutlich der männliche Erdgott, zunächst als Gott der Saaten,* sed quod affert, argumentum [1]) certo fundamento caret; nam in „satus“ et „satio“ a breve est, quod in „Saturnus“ longum esse intellegemus; neque minus improbanda est sententia, quam Schwegler: Röm. Gesch. im Zeitalter der Könige. Erste Abth. p. 224. de origine huius vocis protutulis; dicit enim: *Die Wurzel des Namens scheint hiernach nicht sator, oder ein mit sero zusammenhängendes Etymon, sondern satur zu sein. Saturn ist der Satte, mit Lebenskräften Gesättigte, wie seine Gattin Ops die Volle oder Reiche;* quae disputatio certis argumentis non nititur, primum quod a in „satur“ breve est, deinde, quod sensus vocis „satur“ non bene cum natura dei Saturni conciliari potest. Nobis autem constat, a longum in „Saturnus“ originem duxisse e contractione vocalium „ae,“ quas adhuc in antiqua nominis forma „Saeturni“ [2]) invenimus. Inter „a et e“ litera vocalis v amissa est, ita ut forma

1) *»Denn Saturn ist abzuleiten a satu und a sationibus.«*

2) Cf. Ritschl: De fictilibus literatis Latinorum antiquissimis quaestt. grammatt. Berol. 1853. »Saeturni pocolom.«

primitiva esset „Saveturnus.“ Ut autem „cloaca“ scribitur pro antiquiore forma „clovaca“ (Corssen: Ueb. Ausspr. Vocalism. etc. I p. 175), ita „Saeturnus“ pro „Saveturnus“ scriptum habemus. Literam autem v excidisse perlucide apparet e forma Umbrica „savitu“ *ὑετός*, quae, cum ad eandem stirpem pertineat, quae latet sub Graeco „*ὕειν*“ et sanskritico „su“ (sunômi), duo verba „savâmi“ et „sunômi“ intima affinitate coniuncta esse demonstrat. „e“ in „Saeturnus“ sanskritico „i“ in „savitar“ respondet, quarum vocalium natura eo continetur, quod terminationem cum stirpe „sav.“ coniungunt. Si quaerimus, unde orta sit terminatio „turnus,“ nobis statuendum est, „turnus“ amplificatam praebere formam, quae e latino „tor“ i. e. skr. „tar“ eodem modo originem duxit, quo „taciturnus“ e substantivo, quod statüamus necesse est „tacitor“, derivandum esse demonstravit Schweizer: K. Ztschr. III. p. 385. Iam cum pro certo habeamus, Saturnum fuisse vim naturae in procreandis plantis manifestam (cf. Schwegler l. c. p. 224. Anm. 7), quod nomen magis aptum erat ad huius dei naturam describendam, quam nomen „genitoris,“ quam notionem voci „Saturnus“ inesse ostendimus! Ad eandem radicem „su“ („sav“) etiam pertinere suspicor „Consiva, Con-siv-ia,“ quod nomen deae, quae nominatur Ops, attribuitur (cf. Schwegler. l. c. p. 224. Anm. 9), praesertim, cum, si Schweglerum sequimur, illi nomini insit notio procreandi et pariendi; neque minus certe huc refero nomen deae „Sif,“ quam in mythologia Scandinavica easdem partes suscipere constat, quas „Ops“ in mythologia Latina obtinet.

Quia iam in carminibus epicis, ut ita dicam, res divinae artissime cum rebus a populo gestis conexae esse videntur, mythum ab historia separaturis maximae existunt difficultates, quae eo celerius ut removeantur fore spero, quo clarior lux ex oriente nobis affertur. Iam ratione, quam in rebus mythologicis tractandis atque in epica poësi

diiudicanda sequemur, exposita, videamus, quid de epico carmine Graecorum — dico Iliadem — nobis statuendum sit. Ego quidem non dubito, quin summum argumentum, quod Iliade continetur, ad mythum naturalem referendum sit, ad cuius significationem illustrandam non paulum valere puto etymologicam derivationem nominis *Ἴλιος*, quam proponemus. Itaque viam, qua ad etymologiam huius vocis venerim, describam.

In vedicis hymnis semper pugnae deorum, qui lucem repraesentant, contra daemones, qui luci insidias collocant, describuntur. Vaccae, quae sunt illorum deorum, a daemonibus, qui dicuntur: vṛtrâni, dâsâs, paṇayas etc Indrae, deo lucis, ereptae in occultis arcibus retinentur, donec Indra illorum daemonum arcibus captis vaccas rursus recipiat. Hoc mytho, qui pugnam lucis contra tenebras, qualis est in natura, describit, summum argumentum continetur, quod in maxima parte hymnorum vedicorum tractatur. Etiam apud Graecos hic mythus invenitur. Quid enim aliud significare volunt greges Apollinis, qui ab Herme rapiuntur; cf. Preller.: Gr. Myth. I, 303. atque boves, qui a Caco Herculi erepti, postquam Cacus interfectus est, rursus in Herculis potestatem perveniunt? cf. Preller.: Röm. Mythol. p. 648. In vedica descriptione huius mythi ad illum locum, ubi vaccae (i. e. lux) occultae tenentur, designandum complures adhibentur voces. Sic ille locus, cum buvili comparetur, „vraǵa" dicitur: cf. Rg. Vd. 4, 51. 2.

vi vraǵasya tamasas dvârâ urvan (sc. Ushâsas).
aperiebant buvilis portas obscuras (sc. Aurorae).

Tum vox sanskritica „adri" eidem rei describendae inservit. adri primum lapidem, deinde montem significat; quoniam nubes in Vedis saepissime montibus comparantur, haec vox etiam idem valet, quod nubes (Gewölk).

cf. Bhtlgk und Roth: Sskrit. Wrterbuch I p. 133.
cf. Rg. Vd. I, 62, 2.

brhaspatir bhinadadrin vidadgâ: „Brihaspatir montem scidit vaccasque invenit.“

Praeterea drlha (part. praet. a. verb. „darh“). „arcem“ significat, qua vaccae retinentur.

cf. Rg. Vd. 3. 45. 2.

indro drlhâ ćid aruǵa:

Indra arces evertit (arcium eversor fuit).

l. c. 8. 45. 13.

vidmâ hi tvâ — drlhâ ćidaruǵam.

Te, o Indra) novimus eversorem arcium.

cf. Bhtlgk. und Roth. III. p. 542.

Eodem sensu, quo adri, vraǵa, drlha in vedicis hymnis leguntur, etiam utitur vox „vîlu.“ Haec vox originem ducit a verbo „vid“; lingualem autem literam d, si inter duas vocales locum obtinet, saepissime in lingualem l transire constat. Non aliter res se habet in voce „drlha,“ in qua l vices literae d gerit, atque in „mrlata“ [1]), quae forma scribitur pro mrdata cf. Rg. Vd. 8, 18. 13. et in „avolham“ pro „avodham“ cf. Rg. Vd. 8. 5. 10. Radici, quae sub voce vîlu latet, inest notio: „firmum esse“ cf. Rg. Vd. 3. 53, 19.

aksha vîlo vîlita vîlayasva.

„firme axis! firmatus firmus sis!“

Rg. Vd 8. 45. 6.

yadvîlayâsi vîlu tat.

„Quod tu firmum reddis, id firmum est.“

Rg. Vd. 6. 22. 6.

aćyutâ ćid vîlitâ — ruǵo vi drlhâ.

Tu, (o Indra) stabiles atque firmas arces evertis.

---

1) cf. yaǵno hilo vo antara âdityâ asti mrlata. yushme idvo api shmasi saǵâtye »Sacrificium est apud vos, gaudio nos afficite o Adityae; sumus enim vestrae gentis« (= ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμέν Kleanthes ap. Stob. Eclog. phys. p. 8 ed. Meineke).

Vîḷu et adiectivi et substantivi munere fungitur; cf.: Rg. Vd. 8. 45. 6, quem locum modo excitavimus, idemque est Rg. Vd. 8. 77. 3. (ed. M. Müller 8. 88. 3), ubi adri hoc epitheto ornatum habes:

na tvâ bṛhanto adrayo varantu vîḷava.
non te (Indra) detegant firmi montes (i. e. arces) sc. daemonum.

Rg. Vd. I. 39. 2.

sthirâ va: santvâyudhâ vîḷu uta.
arma vestra sunto stabilia et firma.

Substantivi vices vîḷu gerit: cf. Rg. Vd. I. 6. 4.

vîḷu ćit âruǵatnubhi: guhâ ćit indra vahnibhi: avinda: usriyâ. Cum arces frangentibus ventis tu, o Indra, vaccas in occulto inveniebas. Eundem versum legis: Sam. Vd. II, 2. 2. 7. 3. quem Benfey ita vertit: *Mit den die Burgen brechenden, den stürmenden, fandst, Indra, du die Kühe in der Grotte.*

Rg. Vd. 3. 31. 5.

vîḷau satîr abhi dhîrâ atrindan

„In arce versatas (vaccas) liberarunt“ (sc. Angirasas).

Eodem sensu, quo vîḷu, etiam legitur part. praet. vîḷita. cf.:

Rg. Vd. 2.21.4. açnathnan dṛḷhâvradanta vîḷitâ udgâ âǵad — aguhat tamo vyaćakshatsva: i. e. „firmi loci solvebantur, arces fraugebantur, vaccas (Indra) expulit, tenebras occultas tenuit, coelum hilarem reddidit.“

Ex his locis perlucide apparet, vocem sanskriticam „vîḷu“ firmum locum i. e. arcem („Feste“) significare; atque hanc vocem ad candem stirpem esse referendam, quae sub nomine Ἴλιος latet, mihi persuasum habeo. In voce Ἴλιος ι semper productum se praestat, ita ut stirps sanskritica „vîḷ“ graecae ϝῑλ accurate respondeat. Si ḷ linguale, quae litera vices ḍ lingualis gerit, respicimus, stir-

pem primitivam huius vocis vîd et vîl fuisse, et forma Graeca *Fῖλ* et ea re efficitur, quod literae linguales, quae soli linguae sanskriticae sunt, Boppio duce (Vgl. Gr. I p. 26) e dentalibus ortae existimandae sunt. Literas autem d et l in linguis Indo-Germanicis saepissime inter se mutari posse constat cf. M. Müller in K. Ztschr. V. p. 152. Anm. Quamobrem nobis non offensioni esse potest, quod illud sanskriticum ḍ e dentali d ortum munere Graecae literae λ fungitur, praesertim cum nobis in eadem voce ḷ una cum ḍ servatum sit. Eodem modo Graecae voces *μείλιχος* et *μείλια* eandem stirpem amplectuntur, quae sub sanskritico verbo mṛḍ, mṛḷati latet; stirps primitiva est: marl. cf. Curt. p. 295; neque aliter res se habet in adiectivo Graeco *χωλός*, quod ad radicem, quae inest verbo sanskritico „khôḍ khôḷ (claudicare) pertinere demonstravit L. Meyer Bemerk. zur ältest. Gesch. der griech. Mythol. 1857. p. 50. Ut autem in his vocibus Graeco λ in lingua sanskritica literae ḍ et ḷ oppositae sunt, ita etiam in eadem lingua stirps vîḍ, vîḷ partes Graecae syllabae *Fῖλ* suscepit. Qua de causa ei, qui fortasse e sanskriticis vocibus pîḍ et nîḍ, quas e pisd et nisda originem duxisse Schleicher (Compend. der Vgl. Gr. p. 173) suspicatur, etiam in voce „vîḷu“ literam „s“ amissam esse colligent, viam incertam ingredientur, ut huic voci rectam afferant explicationem, cum certa attulerim exempla, quibus literam lingualem ḍ non e sd prodiisse, linguis cognatis adiuvantibus firmatur. Itaque sanskritico vîḷu eandem stirpem, quae inest Graeco nomini *Fίλιος*, contineri etymologica derivatione, quam proposui, demonstrasse mihi videor. Ut autem Ilium a specie arcis, quam prae se ferebat, nomen accepit, ita etiam nomen urbis Dardaniae ab eadem re originem duxisse mihi videtur. Iam supra vidimus, sanskriticum „dṛḷham“ (= dardham) eidem rei describendae inservire, quam significat „vîḷu.“ Quoniam in Graecorum lingua exempla inveniuntur,

quae literam mediam vices sanskriticae aspiratae gerere demonstrant, cf.:

κύμβη = kumbha.

ομβρος = abhram

cf. Curt. p. 461. suspicari ausim, illo drḷh i. e. dṛdh i. e. dardh eandem contineri syllabam, quae sub nomine urbium *Δάρδ-ανος* atque *Δαρδανία* latet. De Dardania, quae urbs iam ante Troiam conditam floruit cf.: *Υ* 215 sq. Alia urbs *Δάρδανος*, ad Hellespontum sita, cum arce, quae nominata erat, *Ἄκρα Δαρδανὶς* sive *Δαρδάνιος*, nomen suum adhuc servavit in ea voce, qua nos Hellespontum nunc describimus: „Dardanellen" cf. Preller: Gr. Mythol. II, 373. Terminatio *ανος* in *Δάρδανος* mihi eadem esse videtur, quam invenimus in *Ἰάρδ-ανος* (*Η* 135) atque *Ἠρίδανος*; et si rationem habemus vocis *Πέργαμος*, quam eandem stirpem, quae inest graeco *φράσσω*, gotico bairga, baurgs. atque germanico „berec," nobis offerre verisimillimum est (cf. Curt. p. 272, aliud sentit Pott. Et. Forschg. II, 371), *αμος* in *Πέργ-αμος* idem esse, atque illud *ανος*, nobis persuasum est, cum linguae Graecae non desint exempla, quibus literas m et n inter se mutari posse firmatur. cf. Curt. p. 477 sq. Ut autem *ϝίλιος* re vera non a conditore *Ἶλος* nomen accepit, sed *Ἶλος*, eadem ratione qua Romulus a Roma, ab urbis nomine *Ἴλιος* originem duxit, ita etiam nomen urbis *Δαρδανία*, quod e *Δάρδανος* amplificatum esse mihi videtur, ut speciem formae ab heroe Dardano derivatae prae se ferat, effecit, ut urbis conditor qui Iovis filius esse dicebatur, *Δάρδανος* nominaretur. Sic etiam „Pergamos" conditor urbis Pergami, in Mysia sitae, describebatur cf. Preller.: Gr. Mythol. II, 469. Itaque derivatio etymologica, quam Curtius (K. Ztschr. I. p. 36) protulit, cum *Δάρδανος* formam praebere reduplicatam ratus ad radicem sanskriticam „dhar," a qua etiam *Δαρεῖος* (*Ἕκτωρ*) derivatur, confugiat, deserenda esse mihi videtur. Sanskriticum „dardham" cum firmum locum significet, non

dubito quin eadem notio urbium nominibus *Δάρδανος* et *Δαρδανία* insit, praesertim cum *Ἴλιος* et *Πέργαμος* eundem sensum amplectantur. Sed revertamur ad vocem *ϝίλιος*. Ut vîlu in vedicis hymnis arcem coelestem, nubibus circumdatam, describit, ita etiam apud Graecos antiquissimis temporibus urbi *ϝίλιος* intimum conexum cum coelo intercessisse ut statuamus, nos monet ille mythus, qui Heraclem primum eversorem huius urbis describit (cf. Preller II, 234). Ut enim Hesionen, filiam Laomedontis, foedo interitu liberet, quem ei moliebatur monstrum marinum, quod Poseidon miserat, cum muris Ilii, Apolline adiuvante, exstructis, mercedem a Laomedonte propositam non accepisset, Heracles patri promittit, se filiam esse servaturum, si eos equos, quos ille a Iove acceperit, adipiscatur; sed cum Laomedon, illo monstro interfecto, fidem non servet, Heracles, ut equos nanciscatur, Ilium delet atque regem caedit. Heraclem in hoc mytho esse deum solarem, qui cum daemones tenebrarum vicerit eorumque arcem deleverit, lucem rursus recipit, — nihil enim aliud valent illi equi Iovis [1]) — mihi persuasum habeo, praesertim cum etymologia nominis „Laomedon," quam infra proponam, hanc meam sententiam firmare videatur. Accedit aliud argumentum; Ilium enim urbem coelestem fuisse satis certe ea re efficitur, quod muros huius urbis ab Apolline atque Poseidone constructos esse mythus docet; hos autem muros nubibus contineri, quis est qui neget? Cum in hoc mytho urbis Ilii coelestis, ut ita dicam, naturae

---

1) Eodem modo apud Indos sol equus dicitur, quamobrem legimus Rg. Vd. I, 163, 2 surâd açvam vasavo niratashṭa: „E sole equum vos, Vasûs, creabatis." Praeterea vedici hymni et unius equi, qui soli comparatur, mentionem faciunt — eius nomen est „Etaça," de quo videas: Kuhn „Herabholung des Feuers" p. 55. 62 ss — et duos, septem, decem equos describunt, qui solis vel Indrae rotam vehunt quorumque nomen est „haritas" (cf. Max Müller: Oxford Essays p. 81) et „harayas" cf. Rg. Vd. 8, 1, 24, 25.

memoriam nondum ulla deleverit oblivio, in epica descriptione alterius excidii, huic urbi a Graecis parati, iam sedem et urbis et pugnae a coelo in terram translatam esse ut dicamus, nobis alia argumenta persuadent. Cum enim constet, raptum Helenae, a Paride perpetratum, fuisse causam belli, a Graecis contra Troianos gesti, sequitur, ut, si mythum, qui hoc raptu describitur, explicare possumus, eo adducamur, ut de summo argumento, quod Iliade continetur, rectum habeamus iudicium, atque ut in epica Persarum poësi pugnam Ferêdunis contra Zohâkium tyrannum non re vera commissam, sed paulatim a coelo ad terram translatam esse vidimus, sic etiam in Graecorum Iliade Homerica, ut opinor, pugna coelestis, non terrestris, describitur. In illo vedico mytho, quem supra brevi exposui, daemones, qui lucem in arce occultam tenent, „paṇayas" (N. Sg. paṇi) nominantur. „Paṇi" significat mercatorem, negotiatorem, praecipue illum, qui id, quod lucro improbo in rem suam convertit, iusto domino restituere non vult; quam ob rem hoc substantivum idem valet, quod „fur;" quo sensu amplificato eadem vox ad malum hominem et praecipue illos daemones, qui vaccas Indrae reddere nolunt, describendos adhibetur. cf. Benfey in K. Ztschr. VIII. p. 15. Bhtlgk. u. Roth Petersbrg. Wörerbch. IV. p. 389. Vox paṇi originem ducit a radice paṇ, cui inest notio negotiandi, commutando aliquid acquirendi, emendi. Verbum autem „paṇ" e „parṇ" derivandum esse satis certe demonstravit Benfey l. c. p. 17; cum enim radix „par" in lingua sanskritica nonum flexionis ordinem sequeretur, pracritica lingua adiuvante ita in paṇ mutata est, ut e parṇ primum „paṇṇ," deinde paṇ oreretur. Itaque in „paṇ et paṇis" r, quod est stirpis, excidisse constat, quod adhuc servatum habemus in Graecorum verbo: *πέρνημι*. Ad verbum sanskriticum „par" (priyate), quod in par-n amplificatum esse modo demonstravimus, pertinet Graecum *πρίασθαι* cf. Curt. p. 246, quod, cum vocalis litera,

quae est radicis, amitteretur, e πεϱίασϑαι debilitatum esse idem Benfey l. c. p. 19 ostendit. Iam cum meminerimus, regem Ilii Laomedontem Neptuno et Apollini mercedem propositam non dedisse, ab eodemque rege Heraclem Iovis equis defraudatum esse, deinde cum consideremus, Paridem, filium Priami et Laomedontis nepotem, Helenam, quam deam lucis esse postea demonstrabimus, raptu in suam potestatem redegisse, denique cum „ϝίλιος“ = „vîḷu“ arcem, ubi lux occulta tenetur, esse nobis in animum revocemus; non facere possumus, quin Laomedontem, Priamum, Paridem in Graecorum carmine epico vedicorum daemonum, qui nominantur „paṇayas“ et „dâsâs,“ partes suscepisse dicamus. Idem esse munus, quo hi tres reges in Graeca mythologia funguntur, iam ea re efficitur, quod eos intima propinquitate inter se coniunctos mythus describit. Primum accedamus ad nomina „Πϱίαμος et Πάϱις“ explicanda. Cum utrumque nomen ad radicem sanskriticam „par,“ quam etiam sub „paṇi“ latere constat, referendum esse ostendere possim, non dubito, quin notio, quae voci „paṇi“ inest, etiam sub his Graecis nominibus occulta sit. Ut πϱίαται pro πεϱ-ίαται (cf. skr. priyáte pro partyáte) dici supra intelleximus, ita etiam Πϱίαμος vices formae Πεϱ-ι-αμος gessisse Aeolico Πέϱϱαμος (cf. Christ.: Gr. Ltlehre p. 72) satis certe efficitur. Terminatio αμος eadem est, quam iam invenimus in vocibus Πέϱγαμος atque Δάϱδανος. Quamobrem illa etymologia, quae in ore populi versata (Volksetymologie!) Priamum a verbo πϱίασϑαι ita nomen accepisse statuit, ut post Ilium ab Heracle deletum soror Hesione fratrem Priamum e servitute redemisse dicatur, deserenda est (cf. Preller. II, 236). Videmus, hanc fabulam ideo fictam esse, ut nomini Πϱίαμος etymologica explicatio afferretur. Si nomen „Πάϱις“ respicimus, iam M. Müller: Vorlesgg. üb. d. Wissenschft. d. Sprache II. Ser. p. 436. suspicatus est, Πάϱις eandem esse vocem, ac „paṇis;“ di-

cit enim: „*Und wie der sanskritische Name Paṇis das frühere Vorhandensein eines r anzeigt, so dürfte Paris selbst mit dem Räuber identificirt werden, der die Saramâ in Versuchung führte;*“ quam etymologicam derivationem certo fundamento non carere nunc satis constat, cum, quid de radice „paṇ“ eiusque notione iudicandum sit, supra ostenderimus. Stirps *Παρ* in *Πάρις* eadem est, quam in lingua sanskritica linguali n amplificatam voce paṇis i. e. par-ṇ-is contineri demonstravimus. Quamobrem etymologicam explicationem, quam Ushold: Geschichte des trojan. Krieges p. 143 Anm. protulit, cum *Πάρις* i. e. *Φάρις* a radice *φα* skr. bhâ (lucere) derivandum esse putet, iam ideo reicere debemus, quod Paris non est deus, qui lucem repraesentat, sed quod daemonum partes suscipit, qui luci insidias collocant. cf. M. Müller: Vorlesg. p. 574. Anm. 15. Accedit, quod lege literarum mutationis impedimur, quin hanc etymologiam veram esse statuamus. Curtio, qui p. 250 ad radicem Zendicam „par“ „pugnare“ (cf. Iusti l. c. p. 185) confugit, ita ut *Πάρις* pugnatorem significet, assentiri non possum, quod res mythologicae nobis aliam explicationis viam ostenderunt. Spiegel (K. Ztschr. V, 394), qui hanc radicem „par „pugnare“ eandem esse statuit, ac „par“ cui inest notio transgrediendi, *Πάρις* atque Zendicum „pairika“ ab hac radice derivat. Quamquam non dubitandum est, quin verba „par“ „transgredi,“ „par, negotiari“ atque „par, pugnare“ (rixas habere cum aliquo „H ä n d e l mit Jemand anfangen“), ad unam radicem pertineant (cf. Curt. p. 247.), tamen eadem de causa, qua Curtio non assensus sum, Spiegelii sententiam probare non possum. Illud Zendicum „pairika,“ quod eodem modo, quo *Σείρηνες*, malos muliebres daemones describit, qui hominem seducunt (cf. Iusti p. 179. qui ab hac voce *Παρικάνιοι* (Herod. VII, 96) derivare vult), intima affinitate cum radice „par,“ quae sub vocibus „paṇis et *Πάρις*“ latet, coniunctum esse mihi videtur. Quae res cum ita

se habeat, nihil nobis extat impedimenti, quin *Πάρις* et *Πρίαμος* ab ea radice, quae sub voce sanskritica „paṇi," occulta est, derivatum esse dicamus. Si spectamus ad nomen *Λαομέδων*, etiam huius nominis etymologia mihi demonstrare videtur, illum regem in Graecorum mythologia daemonum indicorum, qui tenebras repraesentant, munere functum esse. In vedicis enim hymnis illi daemones, qui ab Indra, lucis deo, devincuntur, etiam „dâsâs" dicuntur. cf. Bhtlingk. u. Roth, Wörterb. III p. 604. Praeterea huic voci „dâsa" inest notio servi. Quia sub hoc nomine eadem stirps latet, quae nobis servata est in antiquioris Persicae linguae substantivo „dahyâus" (cf. Spiegel, Keilinschrft p. 202) (victa) „provincia" „pagus" atque in Zendicis vocabulis „daqyu" et „dańhu" (cf. Iusti. l. c. p. 144, 145), quae eandem habent significationem, M. Müller (K. Ztschr. V. p. 151) ab hac notione profectus demonstrare conatur, „dâsâs," cum antiquitus „populos victos" significaverit, postea eundem sensum descripsisse, qui inest vocibus „populus" et „subiecti" (Unterthanen). Quamobrem, cum d in l mutaretur, sanskritico dâsa Graecum λᾱός comparat, quod sensu priore servatum sit in λεωφόντης = dasyuhan (daemones interficiens), sensu altero inveniatur in voce λᾱός, att. λεώς, quae populum significat. Sed quin hanc derivationem Graeci λαός („populus") rectam esse statuamus, nos impedit digamma, quod invenimus in formis *Λαναγήτα* (C. I. 1456) et *Λαϝοκόϝων* (Priscian I, 22). Itaque λαός, populus, a radice, quae inest sanskritico „dâsa," separandum esse mihi persuasum habeo; sed, ut opinor, aliud λᾱός in Graeca lingua exstitit, quod cum idem valeret, quod „dâsa," similitudinis causa a Graecis cum illo λαός, quod populum significat, semper confundebatur, ita ut etiam sensus „populi" in illud δαός sive λαός transferretur quod daemones describit. Eiusdem similitudinis causa Graeci λαός et λᾶς (lapis) ad eandem stirpem referunt cf. Pind. Ol. 9. 41. cf. Ovid. Met. I, 414,

neque aliter res se habet in lingua Gallica, ubi vox „palais“ et „palatum“ et „palatium,“ quae substantiva a diversis radicibus originem duxerunt, significat. Hanc autem vocem, etiamsi palati notionem describit, a „palatio“ derivandum esse, eius formatione efficitur cf. Müller: Vorlesung. II p. 238. Iam „dâsa“ eandem praebere vocem, ac λᾱός, mihi persuasum habeo. Quod Curtius p. 325. transitum literae d in λ in Graeca lingua inauditum esse firmat, ego λᾱός e δαός eadem ratione ortum esse puto, quo λάφνη e δάφνη prodiit, cf. λάφνη, δάφνη Περγαῖοι (Hesych.) cf. Savelsberg: De digammo eiusque immutationibus pars II p. 30. s in media voce non aliter atque in γένεος, quod e γένεσος ortum esse constat, amittebatur, δ autem in δᾱ̈ϊος, δήϊος („inimicus“) nobis servatum esse videtur, quem sensum etiam voce sanskritica „dâsa“ expressum invenimus cf. Bhtgk. u. Roth. l. c. p. 605, K. Zeitschr. V. p. 151. Quamobrem, cum ab radice „δαϝ“ in δαίω, „incendere“ profecti (cf. Curt. 209) difficillime ad sensum inimicitiae atque hostilitatis perveniamus, hoc δᾱ̈ϊος a radice „δαϝ“ separandum esse puto [1]). Cum autem δ in λ transiret, facile fieri poterat, ut, cum hoc λᾱος = dâsas cum illo λᾱός, quod populum significat, confunderetur, etiam sensus primitivus, qui infuit voci λᾱός = dâsas, falsa etymologia populi ingenio inventa adiuvante e lingua evanesceret. Itaque Λᾱομέδων sensu primitivo significabat „rectorem illorum daemonum,“ qui apud Indos „dâsâs“ nominabantur, quod nomen maxime aptum fuit ad eius naturam describendam, praesertim cum eum ab Heracle, deo solis, interfectum esse consideremus. Ad radicem sanskriticam „dâs,“ cui inest notio laedendi, etiam refero vocem Graecam λεωργός (Frevler), quam cum Curtio p. 325 e λᾱϝοργός — λᾱ autem e λαο i. e. λᾱσο debilita-

---

1) Ut video, etiam Schleicher: Compend. p. 70. δήιος ad skr. »dâsas« referendum esse statuit.

tum est — ortam esse puto. Haec derivatio mihi simplicior esse videtur quam explicatio a Curtio prolata, qui ad radicem skr. „lash“ „cupere“ confugit. Utrum etiam λαρινοὶ βόες (λαρινός fortasse e λάσρινός ortum est) ad stirpem quae sub „dâsa“ latet, pertineant, ita ut significent boves, qui in potestate daemonum sunt (cf. vaccas apud Indos) necne, hoc loco diiudicare nolo. Iam veteres hoc adiectivum et ἀπὸ Λαρίνου βουκόλου κλέψαντος τὰς Ἡρακλέους βοῦς, et a λαρός (cf. Curt. p. 324) derivabant. cf. Preller.: Gr. Myth. II, 206. Anm. 2. Iam cum constet, ϝίλιον fuisse arcem coelestem atque Paridem munere eorum daemonum, qui lucem in illa arce occultam tenent, functum esse, Helenam deam, quae lucem repraesentat, fuisse patet. M. Müller: Vorlesg. p. 431, ubi de vedica dea, quae nominatur Saramâ, agit, hanc deam ad nostrum mythum illustrandum plurimum valere putat. De hac dea haec fere in vedicis hymnis narrantur. Saramâ, deorum canis, postquam vaccae a daemonibus, qui dicuntur „paṇayas,“ occultae sunt, ab Indra mittitur, ut vaccas illas investiget. Saramâ, postquam ad istos daemones pervenit, ab eis retinetur; tum vaccis non receptis redit ad Indram qui ipse profectus arcem, in qua vaccae a daemonibus occultae tenebantur, evertit. Utrum Saramâ re vera Auroram repraesentet, necne, hoc loco diiudicare nolo. Iam vir ille doctissimus et e singularum literarum mutatione et e natura, quae est vedicae deae, Helenam apud Graecos easdem vices gessisse colligit, quas apud Indos Saramâm suscepisse constat; quam sententiam certis argumentis non firmari mihi persuasum habeo. Helena enim non deorum nuntiae munere, quod Saramâ obtinet, fungitur, neque canis speciem prae se fert. *Z* 344 enim, ubi Helena se ipsam canem nominat, nos movere non potest. Praeterea autem in carminibus Homericis Helena bellum effecisse describitur, ideoque luci est comparanda, quam ut recuperet, Indra daemonum arcem evertit. Accedit

etiam aliud argumentum, quod comparationi nominum Saramâ et Helena repugnat. *Ἑλένα* enim apud Graecos firmis testibus digammo fuit instructa. cf. Ahr. Dial. I p. 31. Sic docet Dion. Hal. I. c. 20. *τοῦτο* (*δίγαμμα*) *δ' ἦν ὥσπερ γάμμα διτταῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις· ὡς ϝελένη*. cf. Tryphon.: *περὶ παθ. λεξ.* §. 11 *προστίθεται δὲ καὶ τὸ δίγαμμα παρά τε Ἴωσι — οἷον ἄναξ, ϝάναξ, Ἑλένη ϝελένη*. Idem tradit Mar. Victorin. p. 2461. (Putsch): „ea (litera ϝ) per se scripta non facit syllabam, anteposita autem vocali facit, ut *ϝάμαξα, ϝεκηβόλος, ϝελένη*.“ Denique Latino „Belena,“ quod Quinct. I, 4. 15 loco Graeci *ϝελένα* usurpatum esse docet, literam Aeolicam in hoc nomine valuisse efficitur, id quod etiam linguis cognatis firmatur. Ea radix, quae sub sanskritico substantivo „svar“ (coelum) latet, (i. e. svar), apud Graecos duabus formis servata est. Altera est, cum v excideret, *σερ, σελ*, a qua stirpe *Σείριος, σέλας* [1]), *σελήνη* originem ducunt; altera, cum s amitteretur, hanc speciem prae se fert: *ϝαρ* — *ϝελ*; a qua stirpe profecta derivanda sunt nomina *Ἥρα* [2]) et *Ἑλένα* ita ut *Ἥρα* et *Ἑλένα* vices *τοῦ σϝῆρα* et *σϝελένα* gerant. Non aliter res se habet in Graeco verbo *σιγάω*, quod si *ῥίγα* vices *τοῦ ϝίγα* i. e. *σϝίγα* obtinet cf. Curt. p. 341, etiam literas initiales „s“ et „v“ duabus formis servavit. Itaque

σιγάω : *σειρ* (*σελ*) = *ϝιγα* (i. e. *σϝίγα*): *ϝηρ* (*ϝελ.*).

Hac etymologica derivatione satis certe efficitur, nomen *ϝελένα* ad lucem coelestem referendum esse. Nam sanskr. svar, m. coelum, et radix „svar“ notionem lucendi describit. Ut video, etiam Schweizer (K. Ztsch. II p. 72) ad sanskriticum „svar“ confugit, ut nomini „Helena“ af-

---

1) cf. Curt. p. 485.

2) cf. p. 56, ubi de nomine *Ἥρα* eiusque digammate fusius disputatum est.

ferat etymologicam explicationem. Etiam apud Homerum vocem Ἑλένα vestigia reliquisse, quae si persequimur, literae Aeolicae favent, colligere debemus e productione brevis syllabae in literam consonam desinentis, quam in certa formula ante nomen Ἑλένα invenimus cf.:

Γ 329. δῖος Ἀλέξανδρος, Ϝελένης πόσις ἠυκόμοιο.

Eundem versum habes *H* 255. *Θ* 82.

cf. *N* 766. δῖον Ἀλέξανδρον ϝελένης πόσιν ἠυκόμοιο

Λ 369. αὐτὰρ Ἀλέξανδρος ϝελένης πόσις ἠυκόμοιο

Λ 505. εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ϝελένης πόσις ἠυκόμοιο [1]).

Longa syllaba ante Ἑλένη producitur *X*, 114.

καὶ ϝοι ὑπόσχωμαι ϝελένην

Quamobrem ea, quae Christ: (Gr. Ltlehre p. 173) de nomine Ἑλένα disputat: *Ἑλένα hat bei Homer keine Spur des Digamma hinterlassen*, certo fundamento carent.

Quod M. Müller l. c. p. 437, auctore Prisciano I p. 22 (quem locum tractat Ahr Diall. I p. 30) firmat, a Graecis etiam ibi digamma positum fuisse, ubi literae initiales s. et j. amissae erant, ita ut e digammo, quo instructae voces nobis a grammaticis traduntur, nihil certi de huius literae vi concludere possimus, nisi linguae cognatae huic spiranti favent, negare non possumus, paucissimas voces in Graeca lingua inveniri, quae, nisi prave traditae sunt, hanc sententiam firmare videntur. Sin autem linguae cognatae ea, quae grammatici de digammo nobis tradiderunt, firmant, non est quod de eius auctoritate dubitationes moveamus. Eae voces, quas M. Müller attulit, ut digamma etiam munere spirantis literae s fungi posse demonstret, nihil valent. ϝ enim in voce ϝέξ = lat. sex non e s ortum est, sed per se bene stat. Nam ϝέξ, cuius digamma in tabulis Heracleensibus certis testimoniis firmatur cf. ϝεξήκοντα, ϝεξακάτιαι, ϝέκτα cf. Savelsberg (l. c.

---

1) De caesura semiquinaria quid iudicandum sit, videas, quae in altera parte quaestionis leguntur.

prs. I p. 7) e σϝεξ originem duxisse forma Zendica „khshvas“ efficitur cf. Iusti: Hdbuch. der Zdspr. p. 47 et K. Ztschr. X p. 238. Lingua Latina, digammate amisso, s servavit eodem modo, quo graeco pronomini tertiae personae ϝε i. e. σϝε latinum „se“ accurate respondet. Itaque cum in hac voce spirans labialis, ut ita dicam, suas gerat vices, Bekkero forma ϝέξ restituenda erat. *B* 587. 610. *Δ* 109. *E* 270. 641. *H* 247. *Ψ* 266. 655. *Ω* 399. 604. Uno tantum loco Iliadis *Ψ* 741. haec vox digamma aspernatur. Si rationem habemus adiectivi ϝένος, ἕνος, quod Latino „senex“ comparandum est, haec vox nihil demonstrare potest, quod glossa Hesychii γέννον — ἀρχαῖον suspecta est cf. Curt. p. 279.

Itaque cum Helena et Saramâ comparari non debeant, nobis statuendum est, Helenam, quae causa belli fuit, lucem significare, atque esse „dâsapatnî“ = δέσποινα i. e. eam, quae in daemonum potestate versatur. Hoc adiectivo in vedicis hymnis ornatam invenis vocem „âp“ = aqua. Vaccae enim et lucem et aquas coelestes, quas eidem daemones retinent, significant cf. Rg. Vd. I, 32. 11.

dâsapatnîr ahigopâ: atishthan niruddhâ âpa:
„Aquae in daemonum potestate versatae, ab Ahi custoditae, stabant vinctae.“

Idem sentit Sonne K. Ztschr. XV p. 106. Usholdio l. c. p. 144 qui, cum haec disputet: *Helena's Entführung durch Paris bezeichnet also Nichts Anderes, als was der Raub der Europa durch Zeus bedeutet, d. h. das Verschwinden des Mondes am Himmel* Helenam lunam significare statuit, ideo assentiri non possum, quod Paridem in hoc mytho lucis deum esse voluit, id quod fieri non posse supra ostendimus. Iam cum Πάρις daemonem vedicum, qui dicitur „paṇi“, repraesentet, sequitur, ut in Graecorum exercitu deum solarem quaerere debeamus, quem in priore Ilii excidii Heraclem fuisse ostendimus; atque hunc fuisse Achillem, quis est, qui neget? Mors huius herois compa-

randa est fini Balderi, quem in mythologia Skandinavica easdem partes, quas Achilles apud Graecos obtinet, sustinuisse mihi persuasum est. Sed cum certi aliquid non habeam [1]), quod de huius nominis origine disputem — eae enim etymologicae derivationes, quas viri docti adhuc protulerunt, (cf. Curt. p. 113) non multum valere mihi videntur ad eius naturam describendam — hoc loco de eius nomine atque nutura agere non possum.

Iam cum quaestionem a nomine Ἴλιος profectam ad finem perduxerim, demonstrasse mihi videor, etiam in Graecorum carmine epico pugnam tractari, quae, cum a coelo ad terram revocata sit, antiquitus descripserit illa certamina, quae dei lucis cum daemonibus, tenebrarum principibus, inierunt, quibusque summum argumentum vedicorum hymnorum continetur; atque hac sententia ducti ad res mythologicas, quales describuntur in Iliade, explicandas, accedamus necesse est.

---

1) Fortasse Ἀχιλεύς nomine continetur skr. ahi (gr. ἔχις, nomen daemonis, quem Indra interficit) atque dâsas = λᾶος, ita ut nomen significet: Ahim interficiens, eodem modo, quo Indra Ahihan (Ahim caedens) nominatur. cf. Rg. Vd. 2, 13. 5.

Cum supra argumenta enumeraremus, quae ex Homerico versu repetita vocem Ἴλιος litera initiali praeditam fuisse demonstrant, hiatum in fine pedis tertii Hoffmanno teste (Quaestiones Homericae II p. 29), maximam vim atque auctoritatem habere ad literam initialem, quae est F, huic voci tribuendam, contra in fine pedis quarti et primi eodem Hoffmanno duce (l. c. I p. 87) eandem metricam difficultatem, cum ex ipsa versus sede veniam nanciscatur, ad literam spirantem voci Ἴλιος vindicandam nihil valere vidimus.

Sed Hoffmanno in hac re assentiri non possum, cum mihi sit persuasum, hiatum, ubicunque in Carminibus Homericis invenitur, — dico illud genus hiatus, quod oritur tum, cum vocem, quae finitur brevi vocali, excipit altera vox a vocali incipiens — metricam esse difficultatem, quae non ex certis sedibus versus, sed tantum ex vocum natura atque formatione iustam excusationem repetere possit. Mihi enim constat, hiatum eis, qui de dialecto Homerica quaestionem instituunt, multis locis demonstrare viam munitam, qua ad antiquiores formas adducantur, quae, etsi iam diu e Graeca lingua, qualis nobis est servata, evanuerant, tamen in antiqua poesi epica ita fuerunt in usu, ut nulla existeret metrica difficultas; atque si consideramus, in carminibus Homericis multas inveniri formulas dicendi ex antiquiore poesi repetitas, non est, quod miremur apud Homerum antiquiores vocum formas nobis esse servatas. Haec

tota quaestio ut recte diiudicari possit, ad ea, quae grammatici de Graecis dialectis nobis tradiderunt, atque ad linguarum cognatarum comparationem confugiamus necesse est. In lingua Latina res non aliter se habet. Sic, ut exemplum afferam, apud Plautum antiquiorem ablativi formam in d desinentem nondum evanuisse, sed valuisse perlucide inde apparet, quod hunc casum saepissime in hiatu positum invenimus. cf. Bücheler: Grundriss der latein. Declination p. 47. 48. Itaque cum causas huius hiatus ipsarum terminationum atque vocum natura contineri demonstrare possimus, non ad eam sententiam, quam Hoffmannus sequitur, adducimur, hiatum esse aut iustum tum cum extat in caesura trochaica pedis tertii et in fine pedis quarti et in thesi pedis primi aut illicitum, tum cum alio versus loco invenitur cf. l. c. I p. 87; sed statuere debemus, metricam difficultatem, quae hiatu oritur, cum certis versus sedibus sanari non possit, tantum ex eis argumentis, quae leges ad vocum formationem spectantes nobis afferunt, iustam petere excusationem. Iam hiatus multis locis, ubi extat, digammo Aeolico, quod Bekkerus in textum recepit, removetur, sed multi loci restant, ubi illa litera spirans, si linguarum comparationem sequimur, adhiberi non potest, ad istam metricam difficultatem tollendam. Quam ob rem videamus, quid de eis locis, ubi digamma hiatui iustum auxilium afferre non potest, iudicandum sit.

Duae nobis existunt viae, quibus hiatum explicare conabimur. Alteram si persequimur, ad literas spirantes s et j adducimur, quas, etsi in Graeca lingua, qualis nobis est servata, in spiritum asperum aut lenem transierunt, tamen in antiquiore epica poesi in initio vocum valuisse ea re efficitur, quod apud Homerum certa vestigia sunt relicta, quae illas literas in antiqua epica poesi munere spiritus functas esse satis certe ostendunt. Alteram viam secuti, dialecto Homericae, linguis cognatis adiuvantibus,

graviorem et fortiorem naturam earum vocalium brevium, quae in hiatu extant, tribuere coacti sumus. Priorem viam si respicimus, in Graeca lingua nonnulla inveniuntur exempla, quae literam spirantem s in initio vocum iuxta easdem voces, quae iam s in spiritum asperum mutatum exhibent, adhuc servarunt. Lectori in memoriam revoco voces ὗς — σῦς, ὕλη — σύλη (cf. Σκαπτησύλη), Ἕλλοι — Σέλλοι, Ἁρπηδών — Σαρπηδών, Ἅλμων — Σαλμωνεύς (cf. Curtius: Grundzüge zur griech. Etymolog. p. 578. Christ.: Grundzüge der griech. Lautlehre p. 135)[1]. Apud Homerum memoriam literae s initialis nondum evanuisse, praecipue ex ea re colligitur, quod ante νίφας, νίζω, νεύρη, νυός, νότος, νότιος saepissime invenimus productiones brevium syllabarum (cf. Hoffmann. Quaestt. Hom. I p. 149 ss.), quae tantum litera s, qua has voces olim fuisse instructas linguarum comparatione satis constat, iuste excusari possunt cf.: Savelsberg: Kuhn's Zeitschrift für vergl. Sprachforschg. XVI p. 57. 58. Si autem litera initialis s apud Homerum ante voces a litera consona incipientes vim suam auctoritatemque nondum prorsus amiserat, eam etiam in vocibus a vocali inchoantibus apud Homerum valuisse non est, quod miremur. Omnino nobis in hac quaestione tenendum est, literas spirantes s et j, ex quibus in magna vocum parte spiritum aut asperum aut lenem ortum esse linguis cognatis efficitur, non uno tenore hanc mutationem iniisse, sed priusquam spiritus solus imperium obtineret, fuisse tempus, quo in his vocibus et literae spirantes vim suam servare et spiritus iam earum vices suscipere possent; quod non mirum mihi esse videtur, cum de hac re non aliud iudicandum sit, ac de digammo, quod in nonnullis vocibus (cf. Kuhn Ztschrft. II p. 132) in spiri-

---

1) Fortasse huc referendum est σόλος, quam vocem ab adiectivo ὅλος non separandam esse putat Pottius Et. Forsch. I p. 780.

tum lenem transiit. Spiritum autem lenem e spiritu aspero originem duxisse inde perlucide apparet, quod in aliquot radicibus iuxta spiritum lenem adhuc spiritum asperum servatum invenimus. Sic iuxta *ἕννυμι, εἷμα — ἔσθος, ἐσθής* nobis obviam fiunt, quae voces a radice *ϝες* i. e. „vas" derivandae sunt, idemque est in vocibus *ἰδεῖν* et *ἱστορία*, quae ad radicem *ϝιδ* = „vid" referendae sunt (Curtius l. c. p. 217) cf. Curtius l. c. p. 615. Quomodo hae literae spirantes paulatim e linguae memoria evanuerint, optime ostendit vox *υἱός*. In hac voce spiritum asperum munere literae spirantis s fungi iam diu constat, cum ad eandem radicem pertineat, quae sub sanskritico „su" latet cf. Curt. p. 353. Etiam in lingua Graeca spirantem s in eadem radice valuisse, nomine *Ἁλοσύδνη* satis certe demonstratur, quod nomen in *Ἁλο- συδνη* dissolvere debemus. *Ἁλοσύδνη* enim maris filiam significat, ita ut *σύδνη*, quae forma eandem stirpem amplectitur, ac *υἱός*, in feminino genere easdem vices gerat, quas in masculino genere *υἱός*. cf. Curt. p. 578. Iam si vocis *υἱός* rationem habemus, in carminibus Homericis nonnulla inveniuntur argumenta, e re metrica repetita, quae literam spirantem nondum vim suam in hac voce amisisse nobis persuadent. Maximam enim offensionem illud movere debet, quod *οἱ* encliticum ante *υἱόν* productum invenimus *ν*. 343.

χωόμενος ὅτι ϝοι υἱὸν φίλον ἐξελάωσας

Hoffmannus (l. c. I p. 71) metricam difficultatem ea re removere conatur, quod hunc versum spurium esse iudicat; sed fugit illum virum doctum λ 103, ubi idem versus legitur. Tum Genetivum in *ου* desinentem atque thesis locum obtinentem ante vocem *υἱός* quinquies prodnctum habemus, ubi ex ipsa versus sede vix iustam veniam nancisci possumus. Sic *ου* productum habes in tertia thesi, quam infirmissimam atque productionis longarum vocalium et diphthongorum ante voces a vocali litera incipientes

impatientissimam esse Hoffmannus I p. 54 docet: cf. *Ω* 122. *ἶξεν δ' ἐς κλισίην ϝοῦ υἱέος.* In thesi secunda diphthongus *ου* longam se praestat:

O 522. *εἶα Πάνθου υἱόν.*
P 9. *οὐδ' ἄρα Πάνθου υἱός.*
23. *ὅσσον Πάνθου υἷες.*
59. *τοῖον Πάνθου υἱόν.*

Deinde in altera thesi semel diphthongus *οι* producitur, (cf. Hoffm. p. 57) quod fit ante *υἱόν.* cf.:

Λ 505. *τίμησον μοι υἱόν.*

Iam si consideramus e quattuordecim illis exemplis, quibus Hoffmannus (I p. 56) diphthongum *ου* thesis locum obtinentem productionem servare posse efficere vult, quorumque maximae parti literas spirantes s et j iustum afferre auxilium ea, quae sequitur, disputatione demonstrabimus, quinque vocem *υἱός* illam diphthongum excipientem praebere, non possumus facere, quin hanc metricam difficultatem, quae duriore productione diphthongi *ου* efficitur, si non forte ortam esse volumus, originem duxisse dicamus e natura vocis *υἱός*, quae olim litera initiali erat instructa; haec litera, etsi postea e Graecae linguae memoria evanuit, tamen eisdem fere temporibus, quibus antiqua epica poesis florebat, tantam vim primae syllabae vocis *υἱός* reliquerat, ut diphthongum etiam thesis locum obtinentem apud Homerum productam servare posset. Sic etiam productioni enclitici *οἱ* quae invenitur *ν* 343. iustum auxilium affertur; quo versu antiquiorem dicendi formulam contineri mihi est persuasum, cum et j (in *ὅτι* cf. p. 94) et ϝ et s in hoc uno versu valuisse constet.

Praeterea diphthongus *ου*, si arsis locum obtinet, saepe ante *υἱός* producitur cf. *B* 705. *M* 129. 182. *N* 185. *Ψ* 391. 472; quod argumentum ad literam initialem voci *υἱός* vindicandam non multum valere ingenue profiteor cf. Hoffm. I. p. 60.

Hoc exemplum ideo mihi afferendum esse putavi, quod eodem certis argumentis illa sententia firmatur, quae in hac universa quaestione nobis tenenda est, linguam in vocum formatione non uno tenore antiqua tollere, nova recipere, sed eodem modo, quo sensim sensimque antiqua opprimat, nova introducere [1]); itaque nobis non offensioni esse debet, quod reliqui loci, ubi vocem *υἱός* in carminibus Homericis invenimus, memoriam spirantis literae non servaverunt, sed se ipsos ab eadem alienos praestiterunt, cum ei loci, ubi auctòritatem literae s nondum amissam esse demonstravimus, antiquioris poesis usum imitati sint. Aequabilitatem ibi non restituere debemus, ubi per linguae naturam non licet. Ad hanc sententiam firmandam aliquot exempla afferam. Bekkerus in altera carminum Homericorum editione *P* 279 ita legit:

Αἴας, ὅς περὶ μὲν ϝεῖδος, περὶ δ' ἔργα τέτυκται.

Quamquam satis constat, voces *εἶδος*, et *ἔργον* apud Homerum litera Aeolica fuisse instructas, (cf. Hoffm. l. c. II p. 24. p. 28. Peters: Quaestiones etymologicae et grammaticae de usu et vi digammatis eiusque immutationibus in lingua Graeca. Lips. 1864. p. 13. p. 15) tamen hoc loco nihil mutare debemus; sed nobis statuendum est, digamma in voce *ἔργον* eo tempore, quo hic versus condebatur, iam in eo fuisse, ut digamma prorsus aspernaretur, quod *εἶδος*, cum antiquioris poesis consuetudinem sequeretur, servavit. (cf. Leskien: Rationem, quam I. Bekker in restituendo digammo secutus est, examinavit. L. Lips. 1866.

1) cf. Curtius: Zur Chronologie der indo-germ. Sprachforschg. p. 32: »Die Sprache giebt selten Etwas, was sie einmal gehabt hat, völlig auf; wie das Neue immer an das alte anknüft, so kommt auch das älteste nicht leicht, so zu sagen, aus der Mode. Es hält sich irgend wie bisweilen freilich nur in einem verborgenen Winkel« »Das Aufspüren alter Bildungen zwischen jüngeren wird daher immer eine Hauptaufgabe des Sprachforschers sein.«

p. 50). ἔϱγον, quam vocem in Iliade centum duobus locis legendam mihi notavi, nonaginta novem locis digamma et poscit et admittit; ter tantum literam spirantem aspernatur cf. *B* 751. *Δ* 470. *P* 279. Ut ex lingua Latina exemplum afferam, iuxta Dativum singularis in „ae" desinentem eundem casum in „e" exeuntem in monumentis invenimus, cf.:

Veianae Rumne
Polliae Prime
filiae carissime

quibus de formis videas: Corssen: Ueber Aussprache, Vocalism etc. I p. 189. Hic dativus in „e" exiens novam formam prae se fert, quae paullatim dativum in „ae" desinentem e lingua expellere incipit, antiquiore forma expulsa sola dativo describendo inservit. Neque aliter res se habet in lingua Sanskritica, ubi in hymnis vedicis nominativum pluralis neutrius generis, qui terminationem „âni" praebet, cum eodem casu, qui antiquiorem formam in „â" desinentem servavit, coniunctum habemus cf.:

viçvâni adbhutâ Rg. V. I, 25. 11.
viçvâ bhuvanâni Rg. V. I, 35. 5.
viçvâ vâriâni Rg. V. VII, 17. 5.

Quibus exemplis sententia, quam supra protulimus, satis certe firmatur, linguam in novis formis accipiendis antiquisque tollendis paulatim versari.

Si de palatali spirante, quae est j, quaestionem instituimus, huius literae signum in antiqua Graecorum lingua non nobis est servatum; eam autem in hac lingua extitisse, et argumentis e re metrica, qualis est apud Homerum, repetitis, et dialectis recentioris Graecae linguae efficitur; quam ad linguam si animum advertimus, j saepissime partes spiritus et lenis et asperi suscipit, cf.: *jαῖγα* = *αἶγα*, *jαῖμα* = *αἷμα*, *jυνι* = *ὗνις*; tum illa litera spirans in mediis vocibus in earumque initio vocalis i vices ge-

rere solet, cf.: *jατρός, jατρεύω* = *ἰατρός, ἰατρεύω, σφηκjά, μυρμηκjέ* = *σφηκία, μυρμήκια*; *κύρjος* = *κύριος*; *Ρόδjος* = *Ρόδιος*. Hoc loco nobis non neglegenda sunt verba contracta, quae, cum in antiqua Graecorum lingua in *άω, έω, όω* exeuntia spirantem palatalem amiserint — haec enim verba ad sanskriticas formas, quae in —„ajâmi" desinunt, pertinent (cf. Bopp. Vgl. Gr. § 504. Leo Meyer Vgl. Gr. des Griech. und Lat. II. I. p. 5. 21. 31) — in recentiore Graecorum lingua illud j servaverunt, quod ante o vocalem in *γ* transire solet cf. *Πεινάγω, πεινάjεις, πεινάjει* etc. Qua ex re videmus recentiorem linguam Graecorum formas primitivas adhuc servasse, quae iam in antiqua epica poesi neglectae iacebant. cf. Maurophrydes: Ueber das j im Neugriechischen (Kuhns Ztschrift. VII p. 137—144). Etiam apud Homerum, ut opinor, argumenta inveniuntur, quae spirantem palatalem in lingua Graeca pronuntiatam esse ostendunt. Sic legimus *B* 811.:

ἔστι δέ τις προπάροιθε πόλιος αἰπεῖα κολώνη.

et *Φ* 567.;

εἰ δὲ κέ ϝοι προπάροιθε πόλιος κατεναντίον ἔλθω,

quibus locis cum *πόλιος* ita pronuntiandum sit, ut duas syllabas contineat, *ι* munere spirantis literae j functum esse constat. (cf. Bekker Homerische Blätter p. 40).

Idem esse puto:

Ι 382. *Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.*
δ 127. *Αἰγυπτίης, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.*
δ 83. *Κύπρον Φοινίκην τε καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθείς.*
δ 229. *Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.*
ξ 263. *αἶψα μάλ' Αἰγυπτίων ἀνδρῶν περικαλλέας ἀγρούς.*
ξ 286. *χρήματ' ἀν' Αἰγυπτίους ἄνδρας· δίδοσαν γὰρ ἅπαντες.*

cf. *B* 537, ubi legis:

Χαλκίδα τ' Εἰρέτριάν τε πολυστάφυλόν θ' Ἱστίαιαν.

Omnibus his locis *Αἰγύπτιος* et *Ἱστίαια* ita pronuntianda sunt, ut *ι* idem valeat, quod litera spirans j (cf. Savelsberg,

De digammo eiusque immutationibus Pars I p. 3). Haec explicandi ratio multo simplicior esse mihi videtur quam ea argumentatio, quae, cum vocibus *Αἰγύπτιος* et *Ἱστίαια* quattuor syllabas contineri statuat, ad licentiam poeticam confugit, ut alteram syllabam brevem servet; quam explicationis viam ingressi sunt Rossbach, Westphal: Metrik. Thl. II. Abthlg. II p. 290. Huc non referendum esse mihi videtur *Γ* 414, ubi legitur:

μή μ' ἔρεθε σχετλίη

quia in hoc versu litera muta cum liquida syllabae primae brevitatem satis excusat (cf. Bekker. Hom. Bl. p. 35). Aliud argumentum, quo *ι* apud Graecos vices spirantis literae j gessisse demonstratur, affert Maurophrydes (l. c. p. 144). Legimus enim apud Paus. V. 1 hexametrum:

Μήδειαν Ἰάσων γαμέει κέλεται δ' Ἀφροδίτα.

ubi *ι* eadem ratione, qua j, pronuntiatum esse inde apparet, quod *Ἰάσων* duarum syllabarum mensuram obtinet. Quamobrem non dubito, quin apud Homerum loci inveniantur, quibus usum antiquioris poesis imitatam literam spirantem, quae est j, etiam in initio vocum valuisse, et hiatu et molestioribus productionibus, quas patiuntur syllabae antecedentes, optime ostenditur. Iam cum perlustraturi simus eos locos, ex quibus Hoffmannus hiatum, qui extat in caesura trochaica pedis tertii (cf. I p. 88) et in fine pedis quarti (cf. p. 90) et in thesi pedis primi (cf. p. 91) excusatum esse colligit, non neglectis eis exemplis, ubi eodem Hoffmanno teste hiatus illicitus invenitur (cf. p. 92), primum eas tractabimus voces, quae a litera spiranti s incipientes hiatui iustum afferunt auxilium, deinde vestigiis investigatis, quae spirans palatalis j in carminibus Homericis reliquit, de eis terminationibus, quae apud Homerum iam firmiorem naturam servaverant, ideoque hiatum optime ferre poterant, agemus. Sed priusquam de

litera spiranti s quaestionem suscipiamus, ex eis exemplis, quae Hoffmannus attulit, ea excipere debemus, quibus spirantem labialem valuisse mea quidem sententia constat. Sunt enim *A* 4, *E* 684, quibus locis ἑλώρια et ἕλωρ hiatum efficiunt, *B* 216 (αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ) *A* 157 (θάλασσά τε ἠχήεσσα) *E* 181 ubi in hiatu illicito extant verba πάντα εἴσκω. *A* 551 (πότνια Ἥρη) *B* 790 (ὠκέα Ἶρις) atque *Δ* 486 (ἴτυς). Primum inspiciamus *A* 4 et *E* 684, ubi legimus:

ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια
Πριαμίδη, μὴ δή με ἕλωρ.

Constat, ἕλωρ atque ἑλώρια ad eandem stirpem referenda esse, a qua verbum ἑλεῖν originem duxit (cf. Ebel in Kuhns Ztschr. IV p. 168). Litera autem spiranti han c vocem fuisse instructam, iam Aoristi forma, quae est ε ἷλον, satis certe efficitur. Accedit, quod *E* 118 legimus:

δὸς δέ τέ μ' ἄνδρα ἑλεῖν.

qui hiatus ipso Hoffmanno teste (I p. 93) non habet iustam excusationem; praeterea *E* 576 ante ἑλέτην productionem brevis literae vocalis invenimus, quae metrica difficultas ab Hoffmanno I p. 164. cf. II p. 186 in numerum duriorum redigitur; legimus enim hoc loco:

ἔνθα Πυλαιμένεᾱ ἑλέτην.

Alia exempla, quae eandem metricam difficultatem exhibent, nihil demonstrare possunt, quia ὡς (*B* 781), ὅτε (*Θ* 556) ὄφρα (*Ω* 285) litera palatali j instructa fuisse infra demonstrabimus. Restat *Y* 259, ubi, si cum Spitznero et Bekkero legimus: ἦ ῥα, καὶ ἐν δεινῷ σάκει ἤλασεν (pro σακεϊ ἔλασ') non est, quod nolis offensioni esse possit. Productionem autem vocalis „a" ante literam spirantem per se bene stare ea, quae sequitur, disputatione, ostendemus.

Qua de causa Leskien l. c. p. 17. *E* 576 ad literam initialem verbo ἑλεῖν tribuendam nihil valere iudicare non debebat. Tum in hac quaestione nobis non neglegendum

est *αἱρεῖν*, cui verbo intimus intercedit conexus cum *ἑλεῖν* cf. Curt. p. 490. Habemus enim ante *αἱρεῖν* productionem brevis syllabae in literam consonam exeuntis, quae extat Σ 260:

ϝελπόμενος νῆας αἱρησέμεν.

neque minus literae initiali favet forma *ἀποαιρεῖσθαι*, (*Α* 230), quam iuxta *ἀφαιρεῖται* in eodem libro (182) invenimus. Literam initialem fuisse digamma, antiqua forma, quae est *γέντο* (cf. Θ 43. *Ν* 25. Σ 476. 477), efficitur (cf. Pohl: De digammate Homericis carminibus restituendo. prs. I p. 24) et Peters l. c. p. 6. Iam cum digamma in verbo *ἑλεῖν* antiquissimis temporibus valuisse constet, cur cum Bekkero *ϝέλωρ* in carminibus Homericis non restituamus, non intellego. Haec vox in Iliade praeter *Α* 4 et *Ε* 684 etiam legitur *Ε* 488. *Ρ* 151, ubi quominus *ν ἐφελκυστικόν* deleamus, nemo nos prohibebit, et *Ρ* 667. Uno tantum loco (Σ 93) *ἕλωρ* digamma aspernari videtur; ibi enim legimus *Πατρόκλοιο δ' ἕλωρα*, quod cum Bekkero in *Πατρόκλου δὲ ϝέλωρα* mutandum erit.

Tum nobis agendum est de *Β* 216, ubi legimus:

ἔμμεναι. αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ.

Hiatum, qui in his verbis extat, e litera spiranti, qua *ἀνήρ* fuit instructum, iustam petere excusationem, ea, quae sequitur, disputatione me demonstraturum esse spero. Itaque non opus est, ad hiatum removendum, verba *αἴσχιστος δὲ ἀνήρ* in *αἴσχιστος δέ τ' ἀνήρ* mutare, id quod Lange statuit (cf. Nägelbach's Anmerkungen zur Ilias, bearbeitet von Autenrieth 1864 p. 258). Ut vocem *ἀνήρ* a digammo inchoavisse dicamus, nos monent cum Dion. Hal. I c. 20, qui tradit — *τοῦτο* (*στοιχεῖον ϝ*) *δ' ἦν ὥσπερ γάμμα διτταῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις· ὡς ϝελένη καὶ ϝάναξ καὶ ϝοῖκος καὶ ϝανὴρ καὶ πολλὰ τοιαῦτα*, tum argumenta et ex ipsis carminibus Homericis et e linguarum comparatione repetita. Curtius quidem (p. 276)

et e verbis Dionysii et e metricis rationibus apud Homerum nihil de litera initiali, qua ἀνήρ fuerit instructum, concludi posse firmat, quamobrem etiam spiritum asperum, qui invenitur in ἅνδρα, quia non e litera spiranti ortus sit, falsam analogiam secutum in hac voce valuisse docet. cf. p, 617. Sed illum virum doctum recta sententia non ductum esse, demonstrare conabor. Negare non possum, ea, quae attulit Legerlotz (Kuhn's Ztschrft X. p. 374), argumenta, ut e re metrica, qualis est apud Homerum, voci ἀνὴρ literam Aeolicam vindicet, nihil demonstrare posse. Affert enim ille V. D. ad sententiam suam firmandam *B* 216 (locum, de quo agimus) atque *I* 189. 524. *Θ* 73, ubi in fine versus legitur κλέα ἄνδρων; sed cum α in κλέα, quae forma e κλέϝεα orta est, longum sit, cf. Hoffm. I p. 87, illi loci nihil valent. Quamobrem alia argumenta e carminibus Homericis repetenda sunt. Vox ἀνήρ, quae in Iliade locis quadringentis octoginta quinque legitur, locis centum nonaginta octo digamma admittit, cum et locis centum sexaginta longa syllaba antecedat, et decies sexies ν ἐφελκυστικόν deleatur et sedecim locis aut longa syllaba in vocalem desinens aut brevis syllaba in literam consonam exiens productam se praestet; quos locos si inspicimus, *B* 198 diphthongum ου in thesi ante ἀνήρ productam praebet cf.: ὃν δ' αὖ δήμου ἄνδρα, quod argumentum non levis esse momenti supra ostendimus. Wolfius ad metricam difficultatem tollendam lectionem proponit: δήμου τ' ἄνδρα, sed non recte ac merito, cum optimi codices δήμου ἄνδρα non interiecta particula τε, praebeant. Tum particulam affirmativam ἤτοι in arsi secunda ante ἄνδρες productam invenimus cf. *B* 813.

τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν,

quae productio nobis maximae offensioni esse debet, cum ab Hoffmanno II p. 186. cf. p. 170 in numerum „malarum productionum vocum encliticarum“ redigatur. Neque levioris momenti ad literam initialem voci nostrae tribuen-

dam sunt ei loci, ubi in caesura semiseptenaria breves syllabae in consonantem desinentes producuntur. Hoffmannus quidem (I p. 103) has productiones, quae extant ante caesuram semiseptenariam, ipsa versus sede iuste excusari putat; sed si exempla, quae attulit, perlustramur, e triginta locis quindecim eas voces exhibent, quas olim a litteris spirantibus ϝ, s, j inchoavisse linguarum comparatione constat. Loci sunt hi: *Α* 51. 103. *Δ* 129. 192. *E* 874. *K* 264. 540. *Π* 592. *T* 43. 49. *Φ* 236. *X* 412. *Ψ* 795. *Ω* 470. 544.

Ad digamma confugimus *Φ* 236. *Ψ* 795. *T* 43 et *Π* 592. *Φ* 236 legitur:

πολλούς, οἵ ῥα κατ᾽ αὐτὸν ἅλῑς ἔσαν,

in quo versu syllaba *ις* in *ἅλις* producitur. cf. *Φ* 344. Iam cum *ἅλις* a digammo inchoavisse constet, cf. Ahrens: Dial. Dor. 53. Pohl. l. c. p. 23 — pertinet enim ad eandem stirpem, quae sub *εἰλέω* (*ϝελ*) et skr. „var“ latet cf. Curt. p. 484 — atque in carminibus Homericis certa argumenta inveniantur, quae literae Aeolicae favent cf. Peters l. c. p. 14. Leskien. p. 13. Hoffm. II p. 42, non dubito, quin Bekkerus iuste ac merito illum versum mutaverit in:

πολλούς, οἵ ῥα κάτ᾽ αὐτὸν ἔσαν ϝάλις.

praesertim cum in Iliade nullus inveniatur locus, qui digamma aspernatur. Nam *E* 349. *P* 450. *Ψ* 670 pro *οὐχ οὐ* legendum est, atque *P* 54 coniecrura Bentleii *ὅ* pro *ὅϑ᾽* nullum relinquit obstaculum, quin digammo vocem *ἅλις* instruamus. Loci, ubi *ἅλις* legitur, sunt hi: *B* 90. *Γ* 384. *E* 349. *I* 137. 279. 376. *Ξ* 122. *P* 54. 450. 236. *Φ* 319. 344. 352. *X* 340. 473. *Ψ* 670.

Etiam *εἰρήσεται*, quod *Ψ* 795:

Ἀντίλοχ᾽, οὐ μέν τοι μέλεος εἰρήσεται

productionem syllabae *ος* effecisse videtur, digammo fuisse praeditum, non est, quod negemus, cum ad eandem radicem, quae sub *ϝερέω*, *εἴρηκα* (i. e. *ϝέϝρηκα*) latet, referendum sit cf. Curt. p. 308. Peters p. 12, qui viri docti recte

iudicant de eis, quae Hoffmannus II p. 48 de hac radice disputavit.

Quamobrem Bekkerus non dubitavit, ϝειρήσεται in textum recipere.

Digammo etiam sanatur productio, quae *Π*, 592 ante ὤσαντο invenitur.

Ibi enim legimus:

τόσσον ἐχώρησαν Τρῶες ὤσαντο δ' Ἀχαιοί

ὠθέω a litera spiranti incepisse forma ἐώθουν et glossa Hesychii ἀπεωστόν ἀπωθητόν firmatur, quam spirantem labialem fuisse radice sanskritica „vadh" efficitur cf. Curt. p. 235. Leo Meyer: Vgl. Gr. I p. 77. Peters l. c. p. 16. Quamquam de litera initiali huius verbi omnino non est dubitandum, tamen iam antiquitus verbum ὠθέω literam spirantem aspernatum est, soloque hoc loco auctoritatem illius literae servavit.

A digammo, quo Bekkerus instruxit, vocem οἰήιον inchoavisse verisimillimum est, quamquam non habeo, quod de huius vocis derivatione proferre possim cf. Peters l. c. p. 20, fortasse ab eadem radice originem duxit, quae sub οἴσομαι occulta est; haec est radix „vid" cf. Pott. Etymolog. Forschg. II p. 259. Sin autem digamma huic voci attribuendum est, productio brevis syllabae, quae ante οἰήιον invenitur *Τ* 43.

οἵ τε κυβερνῆται καὶ ἔχον ϝοιήια.

optime explicatur.

De litera spiranti s, quae productionibus, quae sunt *Κ* 264. *Τ* 49. *Χ* 412. *Α* 51. *Δ* 129. *Ω* 470. 544, auxilium fert, nunc agamus, necesse est. Ex hoc locorum numero quinque verbum ἔχω praebent, ita ut hoc verbo causam productionis brevis syllabae, quae antecedit, contineri dicamus. cf.:

Κ 264. ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον
Τ 49. ἔγχει ἐρειδομένω· ἔτι γὰρ ἔχον
Χ 412. λαοὶ μέν ῥα γέροντα μόγις ἔχον.

Huc etiam refero ἐχεπευκής, in qua voce composita εχε-, quod ad verbum ἔχω pertinere constat, membrum regens esse iudico. cf. Berch: Ueber die Composition der Nomina in den homerisch. Gedichten Kiel 1866 p. 17. Productionem effecisse videtur:

A 51. αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκές
Δ 129. ἥ τοι πρόσθε στᾶσα βέλος ἐχεπευκές.

Etiam ante caesuram seminovenariam, de qua postea agemus, bis productionem brevis syllabae invenimus, quam ἔχω effecisse videtur, cf.:

E 752. τῇ ῥα δι' αὐτάων κεντρηνεκέας ἔχον
Θ 396. τῇ ῥα δι' αὐτάων κεντρηνεκέας ἔχον.

Idem est in caesura semiquinaria, cf.:

Σ 580. ταῦρον ἐρύγμηλον ἐχέτην.

Accedit, quod Hoffmannus (I, p. 104) *K* 264. *T* 49. *X* 412 duriores productiones praebere dicit, quia in quarto pede praevaleat ea caesura, quae est in fine pedis.

Deinde *M* 26, συν in συνεχές, quod in initio versus legitur, productum habemus (cf. Bekker: Hom. Bl. p. 33), quae metrica difficultas tantum litera spiranti, qua ἔχω fuit instructum, iuste excusatur; neque minus litera spirans hiatui veniam dat, qui invenitur in fine pedis tertii, quem versus locum hiatus impatientissimum esse docet Hoffm. I p. 85.

cf.: *X* 206. οὐδ' ἔα ἱέμεναι ἐπὶ Ἕκτορι
Ω 593. εἰν Ἄιδός περ ἐὼν ὅτι Ἕκτορα.

Denique huc refero verbum ἴσχειν, quod in hiatu illicito legitur (cf. Hoffm. I) p. 93. *E* 90: οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει.

Longae vocales, arsis locum obtinentes, saepissime ante ἔχω productas se praestant, sed per se non multum valere possunt ad literam spirantem huic verbo vindicandam cf. *E* 240. 829. 841. *Z* 509. *H* 66. *I* 2. 237. *Λ* 774. *O* 109. 266. *Π* 109. *Φ* 72. *Ψ* 136.

Linguarum cognatarum si rationem habemus, ἔχω eandem radicem prae se ferre, quae latet sub skr. verbo „sah“, iam diu constat cf. Curt. p. 176. Nihilo minus Savelsberg l. c. prs. I p. 10 Anm. 2 cf. prs. II p. 18 (cf. Peters l. c. p. 12) digamma verbo nostro tribuere conatur, cum ad verbum sanskriticum „vah“ (lat. vehere) confugiat, praecipue nomine ϝεχιας commotus, quod in inscriptione prope Thespias reperta legitur (Rangabé: Ant. hell. I n. 327). Sed ille v. d. mihi persuadere non potest, se rectam viam esse ingressum, cum ς in ἔσχον (i. e. ἔσεχον) et in σχήσω e digammo ortum esse demonstrare non possit; quod si non fit, verbum skr. „sah“ eandem radicem prae se ferre, quae inest verbo „ἔχω, dicere non dubito. Itaque verbum ἴσχω non e ϝιϝέχω sed e σισέχω ortum esse mihi persuasum est.

Iam si magnum numerum eorum locorum consideramus, ubi ante ἔχω breves syllabae in literam consonam desinentes, producuntur, has productiones non forte esse effectas sed e firmiore natura, quae primae syllabae vocis ἔχω inerat, originem duxisse dicamus necesse est, praesertim cum spiritum lenem vices spirantis literae s suscepisse demonstraverimus. Fortasse haec exempla referenda sunt ad antiquam dicendi formulam, quae cum ex antehomerica poesi in carmina Homerica transiret, eo tempore orta erat, quo litera spirans s vocis initium obtinebat. Idem sentio de Ω 544, ubi legimus:

ὅσσον Λέσβος ἄνω, Μάκαρος ἕδος.

quo loco duriorem productionem contineri Hoffmannus docet l. c. p. 104. In voce ἕδος spiritum asperum munere literae s fungi, iam argumento ex ipsa Graecorum lingua repetito firmatur. Cum enim radix vocis ἕδος eadem sit, quae sanskritico verbo „sad“ continetur cf. Curt. p. 216, mirari non debemus, quod literam s etiam in Graeca lingua servatam invenimus in forma σέδα, quam ad radicem „sad“ pertinere satis constat. Hesychius enim tradit σέδας καθέδρας. Iam cum in Graeca lingua exemplum invenia-

mus, quod a radice „sad“ derivatum literam spirantem s adhuc servavit, nobis statuendum est, in antiqua epica poesi illam spirantem etiam in voce ἕδος valuisse, ita ut productio syllabae ος ante ἕδος nobis non offensioni esse debeat.

Cum spiritum asperum in pronomine demonstrativo ὁ, ἡ e litera spiranti s ortum esse infra demonstraturi simus, productio, quae *Ω* 470 invenitur, iustam habet excusationem; ibi enim legitur:

Ἰδαῖον δὲ κατ' αὖθι λίπεν· ὁ δὲ μίμνεν

Hi sunt loci, ubi productio, quae fit in caesura semiseptenaria, litera spiranti s adiuvante recte explicatur. Literam spirantem palatalem, quae est j, *K* 540 valuisse mihi persuasum est, legimus enim:

οὔ πω πᾶν ϝείρητο ϝεπος, ὅτ' ἄρ' ἤλυθον

quo loco litera j, cuius vices in pronomine relativo formisque ab eodem derivatis spiritum asperum suscepisse postea ostendemus, productioni syllabae — ος rectum affert auxilium. Eandem literam spirantem *Γ* 103 et *Δ* 492 vim suam nondum amisisse opinor; ibi enim legimus:

οἴσετε ϝάρν' ἕτερον λευκὸν ἑτέρην δε μέλαιναν

βεβλήκει βουβῶνα, νέκυν ἑτέρωσ' ἐρύοντα

cf. *H* 418. *ἀμφότερον, νέκυάς τ' ἀγέμεν, ἕτεροι.*

Omitto hoc loco *N* 731, ubi legitur:

ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν·

quem versum a Zenodoto adiectum ignorat Aristonicus. Longas vocales in arsi ante ἕτερος productas vidi *E* 288. *I* 219. *Ξ* 272. *P* 627. *Φ* 71. *X* 80. 266. *Ω* 598.

Si de origine vocis ἕτερος quaerimus, Lottnero assentimur, qui (Kuhn's Ztschrift V p. 395) ἕτερος (dorice ἅτερος) ad sanskriticum „yataras“ referendum esse ostendit. Itaque productiones litera j, qua ἕτερος, antiquioris

poeseos usum imitatum, erat instructum, sanantur. De eo, quod in eodem versu (*Γ* 103) ἕτερος literam spirantem et amplexum et aspernatum invenimus, satis est, lectoris animum advertere ad p. 31.

Iam restat dimidia pars eorum locorum, quos Hoffmannus ad sententiam suam firmandam attulit; sunt enim hi: *Γ* 24. *Θ* 248. 359. *N* 705. *Ξ* 503. *O* 271. *P* 54. 520. 582. 692. 724. *Σ* 180. *Y* 72. *X* 282. 386; quid de his locis iudicandum sit, si quaerimus, nobis persuasum est, productionem, quae hîc neque e literis spirantibus s. j. ϝ. neque e terminationum firmiore natura iustam petere potest excusationem, ea re explicari, quod, cum poetae non amplius rectum iudicium de vi literarum spirantium haberent, quas in antiquiore epica poesi in initio vocum valuisse constat, etiam, postquam literae spirantes e linguae memoria evanuerunt, ibi breves syllabae falsa imitatione adiuvante produci posse putabantur, ubi non e vocum formatione iusta afferri poterat explicatio [1]). E quindecim illis exemplis quinque syllabas υς et υν productas praebent cf. νέκυς *Σ* 180. *X* 386. νέκυν *P* 692. 724. πέλεκυν *P* 520; neque aliter res se habet *H* 84. *Ψ* 110, quibus locis in caesura semiternaria eandem vocem νέκυν, syllaba altera producta, invenimus. E multitudine locorum syllabas υς et υν apud Homerum in his vocibus longitudinem servasse collegerim; attamen cum Hoffmanno duce I p. 98 pro certo habeamus, tantum nominativum et accusativum singularis eorum substantivorum, quae in υς desinentia oxytona sunt et vocalem υ in genetivo corripiunt, syllabas υς et υν apud Homerum productas praebuisse, illam, quam proposuimus, explicationis viam deserere debemus. Iam cum tres locos

---

1) Accedit, ut Hoffmannus in hac locorum enumeratione eos locos neglexerit, ubi ipse digamma productionem effecisse in altero volumine quaestionum Homericarum demonstravit cf. infra p. 84 ubi accuratius de his locis, quos modo enumeravi, actum est.

in Iliade inveniamus, quibus productae syllabae *υς* et *υν* eorum substantivorum, quae non sunt oxytona, spirantibus s et j, quibus voces, quae sequuntur, olim erant instructae, iuste excusantur (cf. *Δ* 198. *Γ* 60. (*πέλεκυς ὥς*) *Υ* 239 ubi in caesura semiquinaria *υν* producitur: *Ἀσσάρακος δὲ Κάπῡν ὁ δ' ἄρ'*) alios locos, ubi syllabas *υς* et *υν* productas videmus, falsam analogiam secutos esse nobis statuendum est, quod eo facilius fieri poterat, quo diutius iam literae s et j e linguae memoriae evanuerant.

Quae res cum ita sit, nobis non levis momenti esse debent *E* 874 atque *P* 65, ubi *ἀνήρ* in caesura semiseptenaria productionem brevis syllabae effecisse videtur. *E* 874 enim legitur:

ἀλλήλων ἰότητι, χάρῑν ἄνδρεσσι φέροντες

quae est melior lectio, quam *χάρῑν δ' ἄνδρεσσι φέροντες*, quod Bekkerus in textum recepit. Idem est *P* 65:

δηῶν· ἀμφὶ δὲ τόν γε κύνες̄ ἄνδρες τε νομῆες

quo loco Hermannus ad productionem excusandam voci *κύνες τ'* addidit, sed non iuste ac merito. Bekkerus in II Homeri recensione *κύνες τ' ἄνδρες τε νομῆες* in textum recepit, quod *τ'* in prima editione omisit. Neque solum in hac versus sede, sed etiam in caesura semiquinaria ante *ἀνήρ* syllabas productas habemus:

cf. *Δ* 68. *ὄγμον ἐλαύνωσῑν ἀνδρὸς*
371. *στήλῃ κεκλιμένο̄ς ἀνδροκμήτῳ.*

Fortasse huc referendum est *I* 477.

ῥεῖα, λαθὼν φύλακάς τ' ἄνδρας δμωάς τε γυναῖκας

quo loco scholion ad *α. ι. τ'* omisit, ita ut legendum sit *φύλακᾱς ἄνδρας*.

Praeterea longae vocales et diphthongi ante *ἀνήρ* producuntur, in thesi: cf. *Δ* 151. *ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσιν*, in arsi: *Δ* 403. *B* 368. *N* 633. *Ξ* 291. *Π* 386 (*δὴ ἄνδρεσσι*) *Υ* 74. *X* 164. *P* 400, quos locos per se non multum demonstrare posse fateor.

Iam restat, ut de origine vocis ἀνήρ agamus, quam digammo instructam fuisse, ut spero, argumenta e linguis cognatis repetita ostendent. Schweizer (Kuhn's Ztschr. VIII p. 234) et Benfey (Griech. Wurzellexicon I p. 122), qui ἀνὴρ a radice sanskritica, an „spirare" originem duxisse firmant, iam ideo viam non satis munitam ingressi sunt, quod literam spirantem in voce nostra neglegunt; atque digamma falsam analogiam secutum etiam eis vocibus affigi posse, quas numquam litera initiali esse instructas linguarum comparatione constat, id quod Benfey statuit cf. l. c. et Kuhn's Ztschr. IX, 128, nullis argumentis firmatur, ut cum Legerlotzio (K. Z. X p. 374) ingenue profiteri audeo. Idem V. D. (l. c.) digamma in voce nostra non neglegens, ἀνήρ cum γύνη coniungit, cum e γϝάνη, qua e forma γύνη ortum sit, profectus ad γϝανήρ i. e. ϝανήρ perveniat. Sed hanc derivationem nimis esse artificiosam neque certis argumentis firmari iudicavit Schleicher: Compend. d. Vgl. Gr. p. 49. Itaque aliam viam ingrediar, ut ad veram huius vocis originem perveniam. Habemus enim in lingua Zendica nomen, „Vanâra," quod nomen est filio regis „Vistâçpae (Ὑστάσπης) cf. Iusti: Handbuch der Zend-Sprache p. 266. Hanc vocem a radice „van", addito suffixo „âra", originem duxisse constat cf. Iusti l. c. §. 166 p. 369. Idem suffixum in „nara" valere Iusti l. c. docet. Radix „van" autem in lingua sanskritica duabus notionibus describendis inservit, quarum altera est: „cupere," „amare" nos: „gern haben," ad quam radicem goticum „vêns", spes (Erwartung), eadem ratione referendum esse puto, qua nostrum „Glaube" a sanskritica radice „lubh" (cupere), quae adhuc sub Latino „lubet" (cf. Curt. 330) latet, derivandum esse ostendit Max Müller: (Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache, bearbeitet von Dr. Böttger. 1866. Serie II p. 324); altera est: „domare" „aliqua re potiri" ideoque „possidere," quam significationem etiam zendicae radici „van" inesse Iusti l. c.

docet. A sensu domandi profecti ad originem vocum ἄναξ et ἀνήρ perveniemus. ἄναξ est dominus atque eodem sensu, quo „dominus" a radice „dam" (lat. domare) originem ducit cf. Curt. p. 209, ἄναξ a radice „van" derivandum est. De eo, quod in voce ἄναξ radici „ἀν" suffixum est, nihil certi affirmare ausim cf. L. Meyer: Vgl. Gr. II p. 337; fortasse -αξ in ἄναξ idem suffixum prae se fert, quod est skr. -aka in „ǵanaka." Tum de litera τ, quae Graeco suffixo ακ-τ- in casibus obliquis additur, idem sentire debemus, quod de τ in ὀνομα-τ- (cf. Curt. p. 288); est enim illa litera, cuius natura eo continetur, quod stirpem amplificat et auget. Nihilo minus radicem vocis ἄναξ „van" fuisse etiam aliis argumentis firmatur. Primum enim Dion. Hal. I c. 20 ϝ voci ἄναξ infuisse firmat, neque minus certe formam ϝάναξ tradit: Tryphon. περὶ παϑ. λέξ. § 11 προςτίϑεται δὲ καὶ τὸ δίγαμμα παρά τ' Ἴωσι καὶ Δωριεῦσι καὶ Λάκωσιν, οἷον ἄναξ ϝάναξ, Ἑλένα ϝελένα. Tum tituli Cretenses exhibent formam Βαναξιβούλου (cf. C. I. Gr. N. 2572. 2577. cf. Savelsberg l. c. II p. 23) atque Hesychius in magna Graecia βάννας pro ϝάναξ pronuntiatum esse testatur. cf. Ahrens Dial. Dor. p. 45. Peters l. c. p. 10. Pohl l. c. p. 17. Literam Aeolicam in voce ἄναξ valuisse, etiam metricis argumentis e carminibus Homericis repetitis satis certe efficitur cf. Hoffm. l. c. II § 133; ἄναξ enim, quae vox in Iliade locis centum quadraginta novem legitur, *B* 672. *H* 162. *O* 453. *Π* 371. 507. 523. *Y* 67. *Ψ* 288. 517. *Ω* 449. 452 exceptis, digamma ad metricas difficultates removendas et poscit, et cum locis quadraginta quinque ν ἐφελκυστικὸν deleatur, admittit. Bekkerus, qui ϝ vocis nostrae in textum recepit, ex eis locis, qui digammo obvii esse videntur, *B* 672. *H* 162. *O* 453. *Π* 523. *Ψ* 288. 517 ita sanavit, ut literae initiali non sint impedimento. Hanc veram esse etymologicam derivationem vocis ἄναξ mihi persuasum habeo; quamobrem ea, quae Legerlotz (K. Z. X, 374) de origine vocis disputavit, probare non pos-

sum, cum ille V. D. ϝάναξ, non aliter ac ϝάνηρ e γϝάναξ ortum ad radicem sanskriticam „ǵan“ referre velit; de qua derivatione quid iudicandum sit, videas p. 44. Id unum ei et Christio (l. c. p. 225) concedo, voces ἀνήρ et ἄναξ ad eandem stirpem pertinere; id enim nos movere non potest, quod, cum α in ἄναξ semper sit breve, idem α in eis casibus, qui vocem ἀνήρ tres syllabas amplexam praebent, longum se praestat, cf. *E* 529. ὦ φίλοι ᾱνερες ἔστε. Ut mihi videtur, productio vocalis α optime ea re explicatur, quod lingua, ut iacturam digammi in his formis compensaret, vocalem α longam reddidit; aliud sentit Ahrensius: Ueber die Conjugation auf μι im Hom. Dialekt progr. 1838 p. 36. Eadem de causa, qua supra derivationem vocis ἀνήρ, quam Schweizer et Benfey protulerunt, improbavimus, ea, quae idem Benfey nuper de origine vocis ἄναξ disputavit cf. K. Ztsch. IX p. 118, cum ἄναξ ad eandem radicem, quae sub verbo „ἄνωγα“ occulta est, referendum esse putet, reicere debemus.

Si ad vocem ἀνήρ animum advertimus, primum nobis statuendum est, âra in „vanâra“ idem esse quod in Graeca lingua radici ἀν- suffixum est, deinde „âra,“ cum producta vocali a, non aliter atque in lingua sanskritica, ubi iuxta „staras“ (est Nom. Plur. a Nom. Sg. star profectus) non (s) tarâ (ut nar, nara) sed (s) târâ = ἀστήρ invenimus, easdem vices, quas „ara“ gerat, in voce nostra actori describendo inservire (cf. „jav-ara“ „lebend“ brav-ara „nargend“ cf. Iusti p. 115. p. 218), ita ut „vanâra“ domitorem, victorem significet. Huic nostrae derivationi repugnare non potest δ in ἀν-δ-ρός, etc. de qua litera quid iudicandum sit, ostendit Curtius p. 649. Ut autem a radice „dam“ graecas voces δάμαρ (δάμαρτι, *Γ* 122 δάμαρτα *v*. 290) atque δόμορτις = γύνη (Hesych.) originem duxisse constat, (cf. Curt. p. 209. L. Meyer Vgl. Gr. II, I, 130) ita ut δάμαρ et δόμορτις („domita“) contineant notionem ei sensui oppositam, qui latet sub vocibus: πάρθενος ἀδμής

(„indomita“); ita ab eadem domandi significatione profecti, sensum primitivum vocis „ἀνήρ“ a radice „van“ derivare debemus. Si δάμαρ atque δόμορτις feminam domitam significat, quod nomen aptius est ad viri naturam describendam, quam ἀνήρ, i. e. ϝανήρ, quae vox sensu activo eandem notionem exprimit quae sensu passivo sub δάμαρ, δόμορτις occulta est!

Iam si consideramus, voces ἄναξ et ἀνήρ ad eandem stirpem pertinere, notiones regis et viri optime alteram ex altera originem ducere posse eo firmatur, quod gr. γύνη, got. quêns = θῆλυς, angl. queen = regina, ad eandem radicem, quae est „ǵan,“ referenda sunt, cf. Curt. p. 160. K. Ztschr. X p. 375. cf. VIII p. 118. Hîc sensus primitivus a gignendi et pariendi notione derivatur, cum in ἄναξ et ἀνήρ a domandi sensu etymologicam derivationem profectam esse demonstraverimus. Cum ἀνήρ et vanâra quoquoversus eandem prae se ferre originem ostenderimus, sententia eorum, qui α in ἀνήρ προθετικῶς additum esse dicunt, cf. Curt. p. 654, deserenda est. Iam forma ἅνδρα (cf. p. 36), spiritum asperum e litera spiranti, quam digamma fuisse nunc constat, ortum esse efficitur, qui spiritus postea in lenem transiit. Si vocem sanskriticam „nara“ respicimus, quae forma e „nar“ amplificata est, suspicari ausim, „nara“ eodem modo, quo in lingua Graeca μία e σαμια ortum est, cf. L. Meyer: K. Z. VIII p. 173 e „vanâra debilitatum esse. Illud enim nobis non offensioni esse potest, quod lingua Graeca in voce ἀνήρ nobis stirpem pleniorem minusque mutilatam servavit, quam lingua Sanskritica cf. Curt. I p. 31. Si in Graeca lingua argumentum certum inveniretur, quo vocem ἀστήρ litera spiranti instructam fuisse efficeretur, equidem literam Aeolicam huic voci vindicarem, cum ad sanskriticum „vastar“, quod nobis adhuc servatum est in „doshâvastar“ cf. Rg. V. I, 1. 7 confugerem; vastar enim, cum a radice „vas, ush“ originem ducat, eum significat, qui lu-

cem affert [1]); quam significationem cum ea notione, quam *ἀστήϱ* describit, optime conciliari posse quis est, qui neget? Tum eodem modo, quo „nar“ „nara“ e *ϝανήϱ*, skr. „star“ (N. Pl. staras), atque (s) târâ e *ϝαστήϱ* mutilatum esse dicerem. De *ἀστήϱ* cf. Curt. p. 187. Sin autem „nara“ e „vanâra“ prodiisse constaret, nomini proprio „Vanâra“ optime responderet Latinum nomen „Nero“, quod cum in lingua Sabina hominem fortem describeret, (cf. Suet. Tiber c. I. cf. K. Ztschr. I, 307) a sanskritica voce „nara“ non separandum est.

Ad radicem, quae sub *ἄναξ* et *ἀνήϱ* latet, etiam refero nomina propria: *Ἰάνειϱα* et *Ἰάνασσα*, quae e *ϝιϝάνειϱα* et *ϝιϝάνασσα* orta esse mihi quidem satis constat. *ϝ* vocis *ἄνασσα* in recentiore titulo Laconico adhuc extat cf. Peters p. 10. Ibi enim legimus: *Εὐϱυβάνασσα*. *I* in utraque voce digammi munere fungi, id, quod Christ. l. c. p. 193 et Legerlotz X p. 373 statuunt, non affirmaverim. cf. Curt. p. 506; potius illae voces, cum ad radicem „van“ referendae sint, reduplicatas formas praebere mihi videntur. Ut enim i in *ἰάχω, ἵστημι, ἴσχω*, quae formae e *ϝιϝάχω σίστημι, σισέχω* originem duxerunt, reduplicationis syllabam esse constat cf. Christ. p. 153, ita etiam *ι* in *Ἰάνειϱα* et *Ἰάνασσα*, pro *ϝιϝάνειϱα* et *ϝιϝάνασσα*, eandem reduplicationem exprimere vult. Reduplicatio autem notioni, quae sub vocibus *ἀνήϱ* et *ἄναξ* occulta est, augendae atque firmandae inservit cf. L. Meyer Vgl. Gr. I p. 417. Eadem ratione *Σίσυφος* cum *σόφος* coniungimus (cf. Curt. p. 408), ubi *σι* reduplicationis syllabam repraesentat, quae ad sensum, qui continetur adiectivo *σόφος*, firmiorem reddendum multum valet. Carmina Homerica si inspicimus, *Σ* 47, *καί* ante *Ἰάνασσα* producitur, quae productio ab Hoffmanno l. c. II p. 186 in numerum malarum redigitur. Haec au-

---

1) Qua de causa eam, quam Benfey: Glossar z. Sâm. Ved. p. 95 protulit, derivationem probare non possum.

tem difficultas metrica removetur, si cum Bekkero legimus *καί ϝιϝάνασσα*. Cum autem hanc primitivam formam fuisse constet, non dubito, quin etiam *Ἰάνειρα* e *ϝιϝάνειρα* orta sit, quam formam adhuc invenimus Σ 47.

ἔνθα δ' ἔην Κλυμένη ϝιϝάνειρά τε καὶ ϝιϝάνασσα.

Quamobrem assentiri non possum Leskienio, qui l. c. p. 17 „cum litera i stirpem vocis *ϝίς* contineri nulla ratione probari possit," digamma his vocibus non tribuit.

Iam quaestione nostra de voce *ἀνήρ* ad finem perducta, nobis statuendum est, digamma vocis *ἀνήρ* iam in carminibus Homericis in eo fuisse, ut paullatim e lingua Graecorum evanesceret, locos autem inveniri, quibus digamma antiquioris poesis usum imitatum vim suam servaverit.

Iam animum advertamus ad finem pedis quarti, ubi ex exemplorum numero, quae Hoffmannus p. 90 attulit, *Δ* 157 excipiendum esse nobis persuasum est. Ibi enim spirans labialis hiatui veniam dat; legitur hoc loco:

οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα

ἠχέω a litera spiranti incepisse, colligere possumus ex hiatu, qui extat in vocibus *ἄηχος, κακοηχής* (cf. Pott. Et. Forsch. I, 224); itaque non dubito, quin Pohl. l. c. p. 21 et L. Meyer Vgl. Gr. I, 427, rectam amplectantur sententiam, cum stirpem, quae latet sub verbo *ἠχέω* (*αχ*), eandem esse dicant, quae invenitur in verbo *ϝιϝάχω* (cf. *ἀνιαχος* pro *ἀϝιαχος*); stirpem autem *ϝαχ* fuisse etiam latino verbo „vagio" firmatur, quod Lottner (K. Z. VII p. 178) nostris vocibus comparat. Iam si Homerum inspicimus, nullus invenitur locus, qui digammo impedimento est. Legimus enim in Iliade *πολυηχής* *Δ* 422, ubi hiatus media in voce, qui in fine pedis tertii extat, non habet iustam excusationem, neque aliter res se habet in *περιήχησεν*, quod legimus *H* 267. Tum sexies in eadem versus sede invenitur formula *πολέμοιο δυςηχέος*, ubi, si cum Bekkero *πολέμου* legimus, syllaba *δυς* in fine pedis tertii producitur cf. *B*

686 *H* 376. 395. *Λ* 524. 590. *N* 535; idem esse censeo in formula *θανάτου δυςϝηχέος*, *Π* 442. *Σ* 464. *X* 180. Novem locis in initio versus legitur vox *ἠχή* *B* 209. *Θ* 159. *M* 262. *N* 834. 837. *O* 355. 590. *Π* 767. *Ψ* 213. Itaque Bekkero assentior, qui digamma vocis *ἠχήεσσα* in textum recepit.

Eadem ratione litera labiali hiatus illicitus, qui est *E* 181, sanatur.

Ibi enim legimus:

Τυδείδῃ μιν ἔγωγε δαΐφρονι πάντα εἴσκω.

Priusquam quaestionem de huius vocis origine instituamus, nobis statuendum est, *ἔοικα, εἴκτην, ἤικτο, ἴκελος, ἐπιείκελος, ἀεικέλιος, εἴσκω, ἴσκω* ad eandem pertinere radicem; quae sit haec radix adhuc sub iudice lis est. Curtius p. 588, cum in *ἔοικε* spirantem j valuisse (*jέjοικεν*) suspicetur, ad radicem *jικ*, quae e *δjικ* orta sit, confugit; *δjικ* autem, si eundem v. d. sequimur, a radice sanskritica „diç" originem duxit; sed cum singularum literarum mutatio, tum diversa significatio, quae inest radici „diç" (*δείκνυμι*) et verbo *ἔοικα*, quominus hanc sententiam rectam amplectamur, nos prohibent. Aliam viam originis radicis *ἰκ* investigandae ingressus est nuper Sonne (K. Z. XV, 87) cum digamma in voce nostra defendens, radicem skr. „viç" „intrare" sub *ἔοικε* occultam esse confirmet. Putat enim ille V. D. notionem aequitatis atque similitudinis, quae verbo *ἔοικα* inest, in mythicis deorum mutationibus ab ea re originem duxisse, quod dei in aliud corpus intravisse putabantur. Sic explicat p. 91. *Αἰγυπτιῷ ϝεϝοικώς* „*eingetreten in den Geier, d. h. in Geiergewand, mithin im Geiergewande befindlich, dem Geier gleich, mit prägnantem Locativ.*" Radicem „vic" nobis esse tenendam, ad stirpem verbi *ἔοικα* etc. investigandam, etiam mihi constat, sed alia ratione notionem, quae sub *ἔοικα* latet, explicare conabor. Via enim, quam Sonne in significatione verbi nostri explicanda sequitur, nimis artificiosa esse neque veritatis speciem prae se ferre mihi videtur; neque minus

incerta esse mihi videntur ea, quae Christ p. 248 l. c. de nostrae vocis origine disputavit, cum ad verbum skr. vêkshaje „video“ confugiat.

Leo Meyer Vgl. Gr. I p. 361, cum doceat: *Daran* (*an* viç „*eintreten*“) *schliessen sich wohl ἵκω, ἱκνέομαι ich komme, ἱκάνω ich komme an; ἱκανός „genügend“, „fähig“, „tüchtig,“ und vielleicht das seiner sinnlichen Grundbedeutung früh beraubte präsentische Perfect ἔοικα, alt ϝέϝοικα „ich gleiche,“ „ich bin ähnlich“* recta ductus est sententia, cum argumenta, quae afferam, ut spero, radici, quae latet sub *ἔοικα*, intimum intercedere conexum cum verbo *ἱκνέομαι* „venire“ demonstrent. *ἵκω, ἱκνέομαι* ad radicem skr. „viç“ pertinere iam vidit Curt. p. 128; quamobrem Sonne l. c. p. 91 assentiri non possum, qui *ἱκέσθαι* a radice skr. „viç“ separandum esse putat. Etiamsi skr. „viç“ de origine intrandi notionem prae se fert, tamen praepositionibus adiuvantibus significationem veniendi offert cf. â-viç „se appropinquare,“ pra + viç „ire ad, venire,“ atque si Iustium l. c. p. 281 sequimur, in lingua Zendica eadem radix (viç) per se veniendi notioni describendae inservit. Iam cum consideremus linguam humanam in describendis notionibus, quae tantum cogitatione concipi possunt, a motu corporis proficisci, videamus quae sit illa via, qua *ἔοικα* a motu corporis profectum ad aequitatis sensum pervenerit.

Tribus locis in carminibus Homericis *ἔοικα* cum *ἄγχιστα* coniunctum legimus cf.

B 58. *ϝεῖδός τε μέγεθός τε φυήν τ' ἄγχιστα ϝεϝοίκειν.*

Ξ 474. *ἦ παῖς· αὐτῷ γὰρ γενεὴν ἄγχιστα ϝεϝοίκειν.*

ν. 89. *νήγρετος, ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ϝεϝοικώς.*

Eodem modo *ἄγχιστα* cum *ϝεϝίσκω* coniunctum habes cf.

ζ 152. *ϝεῖδός τε μεγεθός τε φυήν τ' ἄγχιστα ϝεϝίσκω.*

Videmus his locis nobis servatam esse antiquam dicendi formulam, quam permultum valere puto ad sensum primitivum, qualis erat in voce *ἔοικα*, recte statuendum. Si tenemus, radici *ϝικ* inesse sensum veniendi, ista formula hanc significationem contineri, ex adverbio *ἄγχιστα* perlucide apparet; *ἄγχιστος* enim significat „proximus.“ Itaque illam formulam sic vertamus necesse est:

„*Er war ihm am nächsten gekommen an Grösse und Wuchs i. e. er war ihm sehr ähnlich, er glich ihm an Grösse etc.*“

Neque levioris momenti ad sensum primitivum radicis, quae sub *ἔοικα* latet, enucleandum est adiectivum *ἐπιείκελος*, quod legis:

Δ 394. *Αἱμονίδης ἐπιείκελος ἀθανάτοισιν*
Α 60. — *ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν*
Ι 485. — *θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ*

cf. 494. Χ 279. Ψ 80.

In his formulis praepositio *ἐπι*, etiamsi non tanta vi, easdem vices gerit, quas supra ab *ἄγχιστα* susceptas vidimus. Praepositione enim *ἐπι*, cuius natura etiam eo continetur, quod motum ad aliquem locum spectantem describit cf. Pott. Et. F. I p. 511, efficitur, radici *ἰκ*, quae sub *εἴκελος* latet, notionem veniendi inesse, ita ut eadem ratione, qua in *ἄγχιστα ἐοικώς*, ad sensum similitudinis perveniamus. Si autem constat, *ἔοικα* ad radicem *ϝικ* (skr. viç) pertinere, quae veniendi significationem amplectitur, nobis etiam non mirum esse videtur, quod radix graeca *ϝικ*, tum cum aequitatis atque similitudinis notionem describit, tantum perfecto et plusquamperfecto temporibus utitur. Intellegimus igitur, vocem *ἔοικα* clara vestigia reliquisse, quae si persequimur nobis ostendunt, quomodo radix *ϝικ*, a veniendi notione profecta paullatim acceperit sensum similitudinis; postquam haec notio satis stabilita atque munita voci *ἔοικα* inesse coeperat, tali

additamento, quale est ἄγχιστα, ἐπι-, non opus erat, ad metaphoricam significationem huic voci vindicandam. Hîc res non aliter se habet, atque in eis verbis, quae ad motum animi exprimendum, primum vocibus θυμός, φρήν etc. utuntur, deinde sensu metaphorico satis munito, his additamentis carent. Lectori in memoriam revoco verbum συντίθεσθαι, quod cum a notione res componendi proficiscatur, ad animum ad aliquam rem attentum describendum primum cum voce θυμῷ, coniungitur cf. *H* 44. *O* 27, deinde hoc sensu satis stabilito, additamento, quod est θυμῷ, caret, cf. Fulda: Untersuchungen üb. d. Sprache der homer. Gedichte I p. 71. Ab aequitatis notione profecta radix verbi ἔοικα facillime eo pervenire poterat, ut ad res, quae mores respiciunt, significandas adhibita, idem valeret, quod latinum „decet.“ Idem est in vocibus latinis „pař, aequus“ quae, si eidem sensui, quae verbo „decet“ continetur, describendo inserviunt, iam metaphoram, ut ita dicam, amplectuntur. Itaque non opus est, ad verbum ἥκειν lectoris animum advertere, quod Soph. Oed. Col. 738 idem valet, quod nostrum „es kommt Einem zu“ „es gebührt,“ quam significationem verbo ἔπεοικεν inesse constat, quod vertamus necesse est „es kommt Einem zu.“

Sic postquam et e significatione et ex linguarum cognatarum comparatione, radicem ϝικ, quae inest verbo ϝέϝοικα, ad skr. „viç“ referendam esse demonstravimus, ϝέϝοικα eodem modo, quo λέλοιπα e radice λιπ originem duxit, a radice ϝικ derivandum esse nobis statuendum est, quam formam digammo instructam etiam apud Homerum valuisse constat, cf. Hoffm. l. c. II p. 36. Itaque Bekkerus non dubitavit, digamma huius verbi in II carminum Homericorum recensione in textum recipere. ϝέϝοικε in Iliade habes: *A* 119. *B* 190. *Γ* 158. 170. *I* 70. *K* 440. *Λ* 613. *M* 212. *Ξ* 212. *O* 90. *T* 79. *Φ* 436. *Ψ* 493. *Ω* 388. ϝεϝοικώς *B* 20. 337. 800. *Γ* 151. 219. 222. 449. *E* 87. 522. 560. 604. 782. 800. *H* 59. 256. *K* 547. *Λ* 27. 546.

M 146. 385. *N* 357. 754. *Ξ* 136. *O* 237. 586. 592. *Π* 259. 582. 742. *P* 323. 725. *Φ* 464. 600. *Ψ* 430. *Ω* 347. *ϝει-κυῖα* *Γ* 386. *Δ* 78. *Z* 389. *Θ* 305. *I* 399. *Λ* 638. *T* 286. 350. *X* 151. 227. *Ψ* 66. *ϝεϝοίκειν* (Bekker: *ϝε-ϝῴκειν*) *B* 58. *Ξ* 474. *Σ* 548. *Ω* 630. *N* 102 (3. pl.) *ἔϝικτο* *Ψ* 107. *ϝεϝίκτην* *Φ* 285. *Ψ* 379. *ϝείκελος* *Δ* 253. *N* 53. 330. 688. *Ξ* 386. *P* 88. 281. *Σ* 154. *Y* 423. *X* 134 *θεοϝείκελος* *Λ* 131. *T* 155. *ϝίκελος* *Δ* 86. *E* 450. *Λ* 467. *Π* 11. *Σ* 591. *Ω* 80. 699. 758; aspernatur digamma *T* 282. *ἀϝεικέλιος* *Ξ* 84 *ἀϝεκήλιος* *Σ* 77; accedunt ei loci, quibus legitur: *ἀϝεικής, ἐπιϝεικής, ἀϝικῶς, ἀϝεικίζω*. *ϝέϝοικεν* digamma initiale aspernatur *B* 233. *Γ* 286. 459. *Δ* 286. *Y* 371. 372. *Φ* 379. *Ψ* 649; idemque est in *ἐπέϝοικεν* quod habes *Λ* 126. *Δ* 341. *I* 392. *X* 71. *Ω* 595; omnibus his locis Bekkerus legit *ἔϝοικεν* et *ἐπέϝοικεν*. Cum enim e forma *εἰκώς* colligat, *ε* in *ἔϝοικεν* reduplicationis syllabae munere non fungi sed prostheticum esse existimandum, alterum digamma servavit cf. Hom. Bl. p. 136. Hanc Bekkeri sententiam verbo *οἶδα, εἰδώς* firmari non posse demonstravit Leskien l. c. p. 25 ss. *ε* reduplicationis syllabam prae se ferre, eis locis, ubi *ϝέϝοικεν* legimus, satis certe efficitur. In eis autem formis, ubi digamma initiale iam erat neglectum, etiam alterum digamma, quod extat post reduplicationis syllabam, vim suam amisisse, veri simillimum est, ita ut, si non *ϝέϝοικε* restituere possumus, *ἔοικε* legere debeamus. Tum Bekkerus *ϝεϝῴκειν* legit, quam formam non rectam praebere speciem mihi persuasum habeo. Productionem enim syllabae *οι*, quae est in *ϝεϝῴκειν*, tantum digammo amisso effici posse constat cf. Ebel K. Z. IV p. 171. cf. Leskien p. 27. Ut enim e *βασιλέϝα* fieri poterat aut *βασιλῆᾰ* aut *βασιλέᾱ*, ita etiam in verbis digammo amisso vocalis aut antecedens aut subsequens produci poterat. Sic *ἐῴκειν* e *ϝεϝοίκειν* (pro *ἐϝεϝοίκειν*), augmento amisso, ortum est, ut *ἐώργειν* e *ϝεϝόργειν*, cum digamma, quod in initio harum vocum invenitur, iam diu evanuisset. Vocalis antecedens

productam se praestat in forma εἰοικυῖαι Σ 418, quae e ϝεϝοικυῖαι orta erat. Itaque Bekkerus non ϝεϝῴκειν et ϝειϝοικυῖαι legere debebat,. sed si ϝ servare volebat, ei restituendae erant formae ϝεϝοίκειν et ϝεϝοικυῖαι; atque quominus ϝεϝοίκειν legamus, nihil nos prohibet; si rationem habemus loci, qui invenitur Σ 418, hîc digamma radicis nostrae iam auctoritatem suam amisisse verisimillimum est, itaque legendum est in fine versus:

νεήνισιν εἰοικυῖαι.

A stirpe ϝικ, eodem modo, quo δειδίσκομαι („begrüssen"), reduplicationis syllabae in δει amplificata, a radice „diç" „dik" (δείκνυμι) originem duxit, cf. L. Meyer K. Z. VII p. 201, derivanda est forma intensiva ἐίσκω i. e. ϝεϝίσκω. Itaque probare non possum sententiam, quam nuper Savelsberg K. Z. XVI p. 369 protulit, cum ἐΐσκω e radice quam statuit, „vish" „vi" (separare), ad quam etiam vocem skr. vishu (= ϝῖσος) refert, ortum atque ab hac forma ἐίσκω novam radicem ϝικ, quae sit in ϝέϝοικα, derivandam esse suspicetur. skr. „vishu" ad radicem „vish" „separare," quae non certis testimoniis firmata in lingua sanskritica invenitur, referendum esse, non constat; praeterea, quomodo a separandi notione ad aequitatis sensum perveniamus, equidem non intellego. ϝεϝίσκω, cui verbo inest notio: „aliquem parem, aequum facere i. e. aestimare" cf. *E* 181, a qua notione profectum ἐίσκω eo pervenit, ut idem valeat, quod verba „aestimare, iudicare," in Iliade quinque locis legitur cf. *Γ* 197. *E* 181. *N* 446. *Φ* 332. *Ω* 371. *Γ* 197 et *N* 446 syllaba brevis in vocalem desinens ante ἐίσκω in caesura trochaica pedis tertii hiatum efficit; idem est *Ω* 371, ubi in fine versus legimus:

φίλῳ δέ σε πατρὶ ἐίσκω;

quamquam terminatio Dativi sg. in ι exiens in carminibus Homericis firmiorem servavit naturam, cf. Hoffm. p. 84 tamen hoc argumentum nos prohibere non potest, quominus vocem ἐίσκω digammo instruamus. In hiatu illicito ἐίσκω

positum legimus *E* 181 cf. Hoffm. I p. 93: *Τυδείδῃ μιν ἔγωγε δαΐφρονι πάντα ἐΐσκω.* Tantum uno loco quominus digamma statuamus, impedit augmentum, quod est in *ἠίσκομεν*, temporale. Bekkerus hoc loco legit *Φ* 332.

— *μάχῃ ϝηϝίσκομεν εἶναι*

de qua scriptura quid iudicandum sit, videamus. Bekkerus, cum ipsi sit persuasum (cf. Hom. Bl. p. 133), digamma et consonae literae, et spiritus vices gerere potuisse, in temporibus praeteritis digammo servato etiam augmentum temporale restituit. Sic semper offert lectori formam *ϝήνδανε*, neque dubitat, *ἐϝῳνοχόει* in textum recipere, cum „*ε*" in his formis easdem partes suscipere contendat, quas *ε* in *ἐείκοσι ἐϝίσας* agere constat. Hanc Bekkeri sententiam bene refutavit Leskien l. c. p. 30 ss. Qui digamma in *ἁνδάνω* et *οἰνοχοεῖν* servare vult, is legere debet *ϝάνδανε* et *ἐϝοινοχόει* (aut *ἐῳνοχόει*). Constat enim, ubi augmentum temporale locum obtinet, ibi digamma vim atque auctoritatem suam amisisse. Non aliter res se habet in *ἠίσκομεν*; litera Aeolica si in hac forma valeret, nobis scribendum esset. *ϝεϝίσκομεν* pro *ἐϝεϝίσκομεν.* Cum autem prima syllaba productam se praebeat, ideoque nobis statuendum sit, augmentum temporale in voce nostra valere, scribendum est: *ἠίσκομεν.* Productio literae vocalis *ῃ* in *μάχῃ* nobis non offensioni esse potest, cum Hoffmanno duce (I p. 60) haec vocalis quavis arsi ante voces a litera vocali incipientes productionem servare possit. Quae res cum ita sit, tantum uno loco digamma in voce *ἐίσκω* apud Homerum vim suam amisisse videmus, quod nos impedire non potest, quin aliis locis, ubi hoc verbum extat, digamma statuamus.

Sic cum linguarum comparatione tum argumentis e re metrica repetitis constat, *ἔοικα, ἐίσκω* ad radicem skr. „viç" pertinere, quae in lingua Graeca certa reliquit vestigia; quae si persequimur, sensum primitivum, qui radici, *ϝικ* inest, adhuc cognoscere possumus.

Tum huc referendum esse puto hiatum illicitum, qui extat verbis: *πότνια Ἥρη*. Vox *Ἥρη*, quae in Iliade locis centum tredecim legitur, vicies quater in fine versus lectionem praebet: *πότνια Ἥρη*. cf. *Α* 551. 568. *Δ* 50. *Θ* 198. 218. *Ν* 826. *Ξ* 159. 197. 222. 263. 300. 329. *Ο* 34. 49. 83. 92. 100. 149. *Π* 439. *Σ* 239. 357. 360. *Τ* 106. *Υ* 309; cum in eadem versus sede locis viginti *λευκώλενος Ἥρη* legamus, cf. *Α* 55. 208. 595. *Ε* 755. 767. 775. 784. *Θ* 350. 381. 484. *Ξ* 277. *Ο* 78. 130. *Τ* 407. *Φ* 377. 418. 434. 512. *Ω* 55. cf. *Α* 572 (*λευκωλένῳ Ἥρῃ*) et *Υ* 112 (*λευκωλενον Ἥρην*); *χρυσόθρονος Ἥρη* in eadem versus sede legitur *Α* 611. *Ο* 5. In initio versus vox *Ἥρη* legitur locis quadraginta duobus. cf. *Α* 519. 523. 545. *Β* 15. 32. 69. *Δ* 8. 24. *Ε* 721. 748. 893. 908. *Θ* 209. 383. 392. 407. 421. 461. *Λ* 271. *Ξ* 153. 194. 225. 243. 292. 298. 312. 342. 360. *Ο* 90. 143. 214. *Π* 432. *Σ* 184. *Τ* 97. 114. *Υ* 33. 70. 133. *Φ* 328. 369. *Ω* 65. 101; longam syllabam in literam consonam desinentem *Ἥρη* excipit: *Β* 156. *Θ* 426. *Ο* 13. *Φ* 384. Locis, qui restant, *Ἥρη* digamma prorsus aspernatur; sunt enim hi: *Α* 536. *Δ* 20. *Ε* 392. 418. 731. 832. *Η* 411. *Θ* 444. 447. 457. *Ι* 254. *Κ* 5. 329. *Ν* 154. *Ο* 14. *Σ* 119. 168. *Φ* 6. 367. *Ω* 25. Locorum numerum si consideramus, tantum ei versus, qui praebent *πότνια Ἥρη*, literam spirantem commendant, cum ea exempla, quae vocem *Ἥρη* ita exhibent, ut aut in initio versus legatur aut longam syllabam in literam consonam exeuntem excipiat, etiamsi literae spiranti non obvia sunt, tamen nihil valeant, ad literam spirantem vocis initio tribuendam. Ut mihi videtur, iam Hoffmannus (l. c. I. p. 93) recte iudicavit, eis versibus, qui praebent *πότνια Ἥρη*, formulam contineri, quae ex antiquiore poesi ad Homerum pervenerit.

Haec formula, cum antiquioris poeseos usum imitaretur, literam spirantem servavit, quam formula *λευκώλενος Ἥρη* iam aspernata est. Omnino mihi persuasum est,

universam quaestionem de usu digammatis apud Homerum ea re maxime iuvari atque illustrari, quod illa sententia, quam Fulda (Untersuchg. p. 7) protulit, ducti, in vocibus digammate instructis perlustrandis ostendere conamur, quae sit antiquissima formula, qua digamma nobis est servatum, et quomodo factum sit, ut alia exempla hanc formulam secuta literam labialem servarint, aut, cum illum, ut ita dicam, archetypum neglegerent, literam Aeolicam a se alienam praebuerint. E digammate autem neglecto non statim concludi debet, locos, qui huc referendi sunt, tamquam interpolatos posteaque additos, a textu carminum Homericorum esse removendos, id quod Hoffmannus saepe statuit.

Si quaerimus, quaenam fuerit litera spirans, quae in initio vocis Ἥρη valuerit, et linguarum comparatione et formis, quae Pylio duce (Mythol. Beiträge p. 119) traduntur, ϝηρα et ϝηρακλης, satis certe efficitur, Ἥρα a litera Aeolica inchoavisse. Cum Pylii libellus mihi non in conspectum veniret, Pottio, qui K. Z. V, 282 has formas Pylium secutus exhibet, auctore utor locuplete. Iam Leo Meyer: Bemerkungen zur ältest. Gesch. d. gr. Mythol. Gött. 1857, qui p. 18—21 de natura mythologica huius deae egit, ad radicem sanskriticam „svar,“ „lucere“ confugit, ut nomen recte explicet. Voci Ἥρη accurate responderet forma sanskritica „svâvâ,“ quae iuxta „svar“ (coelum) easdem vices gereret, quas skr. (s) „târâ“ iuxta „star“ (N. pl. staras) suscipit. Spiritus asper hac in voce literis „sv“ substitutus est, ut in ἡδύ = skr. „svâdu.“ Hanc derivationem etiam amplectuntur Curtius l. c. p. 113 et Preller: Gr. Mythol. I, 124. Itaque cum et literarum singularum natura et splendendi coelique significatione, quae sub utraque voce latet, haec etymologia vocis Ἥρη satis firmetur, non est, quod de derivatione ab ἀήρ, quam Christ. l. c. p. 254. Platonem Cratyl. 404 c. secutus, veram esse dicit, verba faciamus; neque minus improbanda est

sententia, quam Sonne K. Z. X p. 366 de origine vocis *Ἥρη* protulit, cum *Ἥρα* e *ϝέσρα* i. e. skr. usrâ ortum esse suspicetur; quae explicandi ratio nimis audax mihi esse videtur neque eandem desideramus, cum derivatio, quam modo protulimus, multo simplicior sit atque naturam deae Herae plane amplectatur. *Ἥρα* litera spiranti, quae erat *ϝ*, instructum fuisse, etiam aliud argumentum demonstrare mihi videtur. Constat enim, nomen *Ἡρακλῆς* ad eandem stirpem pertinere, quae sub *Ἥρα* est occulta cf. L. Meyer: Bemerkg. etc. p. 29. Voci *Ηρακλῆς* in lingua sanskritica responderet forma, quam quominus statuamus nihil nobis extat impedimenti: „svâvaçraras" i. e. splendoris, solis gloriam habens; gr. *κλέϝος* (st. *κλεϝες*, *κλεες*) = skr. çravas nihil aliud describere vult, atque eandem rem, quae saepe exprimitur epitheto *κλυτός*, deorum et heroum nominibus addito; atque hoc nomen maxime esse aptum ad deum solis describendum non est, qui neget. Ab hoc Graeco nomine non separandum esse latinum „Hercules," quam vocem Mommsen: Unterital. Diall. p. 262 ab „hercere" = *ἕρκειν*, certo fundamento non usus, derivandam esse putat, optime demonstravit Grassmann: K. Z. XVI p. 104. Quod attinet ad literam labialem, qua „*Ἡρακλῆς*" fuit praeditum, apud Homerum haec litera Aeolica uno loco productionem brevis syllabae in literam consonam desinentis effecisse videtur. cf. *Υ* 145:

τεῖχος ἐς ἀμφίχυτōν ϝηρακλῆος θείοιο.

Longas vocales arsis locum obtinentes ante *Ἡρακλῆς* productas vidi *Β* 658. 679. *Λ* 690. *Ο* 25. 640. *Σ* 117.

Qua ex re videmus *ϝ* vocis *Ἡρακλῆς*, quod in Iliade paucissima vestigia reliquit, iam Homeri temporibus in eo fuisse, ut paullatim e linguae memoria evanesceret. Iam ad vocem *Ἥρη* reversis nobis statuendum est, eis locis, quibus extat hiatus illicitus: *πότνια Ἥρη*, valuisse digamma, quod et linguarum comparatione et argumentis ex ipsa Graecorum lingua repetitis satis est firmatum.

Itaque his locis litera Aeolica Bekkero erat restituenda. Hoc loco nobis non neglegendus est hiatus illicitus, qui extat verbis *πότνια Ἥβη* cf. *Δ* 2; quam metricam difficultatem eo removere conor, quod verba *πότνια Ἥβη*, cum spiritus asper in voce *Ἥβη* vim literae spirantis j, ex qua originem duxit, servasset, formulam *πότνια Ἥρη* secuta esse contendo. *Ἥβη* enim ad radicem sanskriticam „dyu," quae etiam sub adiectivo „yuvan" = „juvenis" latet, referendam esse, constat cf. Benfey: Wzlexic. II, 210. L. Meyer l. c. p. 44. Legerlotz K. Z. VII p. 298. Eodem modo, quo verbis *πότνια Ἥρη* antiquam dicendi formulam contineri intelleximus, idem statuere debemus de verbis *ὠκέα Ἶρις* quae saepe in versus fine leguntur. Itaque mihi hoc loco liceat, de litera spiranti, qua olim vox *Ἶρις* fuit instructa, accurate agere. Nomen *Ἶρις*, quod in Iliade locis quadraginta duobus legitur, novies in fine versus cum epitheto *πόδας ὠκέα* coniunctum habes cf. *B* 790. 795. *Γ* 129. *Θ* 425. *Λ* 199. 210. *Σ* 202. *Ω* 87. 188; in eadem versus sede etiam novem locis legimus: *ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις* *B* 786. *E* 368. *Λ* 195. *O* 168. 200. *Σ* 166. 183. 195. *Ω* 95. Semel *ὠκέα Ἶρις* epitheto alio carens tibi obviam fit *O* 172; interiecta particula *δὲ* *ὠκέα δ' Ἶρις* legimus *Ψ* 198. Praeterea hiatus illicitus, qui extat in fine pedis secundi, efficitur verbis: *ὣς ἔφατ', ὦρτο δὲ Ἶρις*, quae leguntur *Θ* 409. *Ω* 77. 159. Eandem metricam difficultatem invenimus in fine pedis quarti *Ψ* 201. *Ω* 117; idemque est in fine pedis primi, ubi legitur: *βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα* cf. *Θ* 399. *Λ* 186. *O* 158. *Ω* 144. Ex aliis locis nihil de litera spiranti concludi potest; initium enim versus obtinet *Ἶρις* *Γ* 121. *Θ* 398. *Λ* 185. *O* 55. 157. 144. 206. *Σ* 182. *Ω* 143; longam syllabam in literam consonam desinentem *Ἶρις* excipit *P* 547; literam initialem spirantem prorsus aspernatur *E* 353. 365. *Δ* 27. E locorum numero colligere debemus, verba *πόδας* et *ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις* et *ὣς ἔφατ' ὦρτο δὲ Ἶρις* duas amplecti formulas, quae antiquioris poeseos usum imitatae ita erant

in usu, ut literam spirantem non a se alienam praeberent; sed iam Homeri temporibus vim literae spirantis in voce nostra in eo fuisse, ut et valere et pro nihilo haberi posset, exemplis, quae modo attuli, satis certe efficitur. Litera initialis quae fuerit in voce Ἶρις, si quaerimus, Hoffmannus (l. c. II p. 40 ss) et Bekkerus in altera Homeri recensione ϝ voci nostrae vindicant, quod Hoffmannus eo firmare conatur, quod sub Ἶρις eandem stirpem, quae latina voce „viridis“ continetur, latere docet! Alii viri docti, qui ad εἴρω, ἐρέω confugiunt (cf. Preller: Gr. Myth. I p. 390 Anm. 2), ut huic nomini rectam afferant etymologicam explicationem, mihi persuadere non possunt, illam, quam ingressi sunt, viam optime esse munitam. Quod enim Graeci deam, quae nominatur Iris, nuntiam deorum fuisse dicere solebant, hoc munere non veram atque primitivam deae Iridis naturam contineri, quicunque in rebus mythologicis populorum Indo-Germanorum examinandis versatur, concedet. Naturam autem primitivam deae Iridis sub arcu coelesti latere, cui describendo eius nomen apud Graecos inserviebat, e duobus locis, qui in Iliade inveniuntur, colligere possumus.

P 547 enim legimus:

ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ

atque *Λ* 27, ubi Agamemnonis lorica describitur, haec extant verba:

τρεῖς ἑκάτερθ', ἴρισσι ϝεϝοικότες, ἅς τε Κρονίων
ἐν νέφει στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

Sin autem nomen „Iris“ de origine arcum coelestem significare solebat, facillime fieri potuit, ut, quo magis haec dea a coelo ad terram revocata ad hominum naturam accommodata est, nuntiae deorum munere functa esse diceretur. cf. L. Meyer, Bemerkg. p. 45. Si de litera spiranti, qua vox Ἶρις instructa fuit, quaestionem instituimus, argumentum e Pausania repetitum (II, 19, 4) literam initialem digamma fuisse confirmare videtur. Ibi enim le-

gitur: ἐπείργασται δὲ τῷ βωμῷ τοῦτο μὲν ἄγαλμα Βίριδος; sed utrum haec dea Laconica eadem sit, atque Ἶρις, necne, in dubio relinquam. Itaque cum hoc argumentum in nostra quaestione non multum valere possit, ad linguas cognatas confugiamus necesse est. Supra vocem Ἥρη ad formam sanskriticam „svâvâ,“ quam ab eadem radice, quae inest substantivo „svar“ (coelum), originem duxisse constat, referendam esse demonstravimus. Iam cum pro certo habeamus, brevem vocalem ι in lingua Graeca partes literae „a“ suscipere posse cf. Curt. l. c. p. 642. — sic ϝίδιος, i. e. σϝίδιος, ad stirpem pronominis tertiae personae „sva,“ qua Graecum ϝε i. e. σϝε ortum est, pertinere certis argumentis firmatur cf. Curt. p. 352 — nobis etiam statuere licet, longum „a“ apud Graecos in ι productum transire potuisse, praesertim cum syllaba, quae sequitur, hanc mutationem effecisse videatur, quod si fieri potest, non est, quod miremur, syllabam svâr- (in svârâ), quae in Graeca lingua in ϝηρ- transiit, longo α in ι mutato, etiam hanc speciem praebere potuisse: ϝῖρ. — Ut mihi videtur, vocalis â hac in voce ideo in î mutata est, quod altera syllaba, quae est ις, vocalem antecedentem sibi accommodare voluit. Ut autem in maxima parte earum vocum, quae ῐ e ᾰ ortum praebent, eaedem radices vocalem ε munere literae α functam exhibent, cf. ἴσθι — ἔστω, ἵζω — ἕδος etc., ita etiam vocales literae η et ῑ in eadem voce literae â substitutas invenimus cf.

σκίπων — σκήπων

cf. Curt. p. 152. L. Meyer: Vgl. Gr. I p. 140.

Ἶρις — Ἥρη.

In hac autem etymologica derivatione nobis non offensioni esse potest spiritus lenis, quo nomen Ἶρις instructum videmus. Spiritum lenem etiam vices literarum initialium „sv“ gerere posse, certis argumentis firmatur. Sic ἄσμενος, ἦδος, quas voces iuxta ἥδομαι atque ἁνδάνω invenimus, ad radicem sanskriticam „svad“ pertinent, itemque

ἔϑος, ἦϑος e σϝέϑος etc. ortum esse satis constat cf. Curt. p. 615. Id quod stirpi Ἰρ (i. e. σϝῖρ) suffixum est, eandem terminationem amplectitur, quae in lingua Indica nominibus fem. gen. formandis inservit, — î. Itaque Graecae voci ϝῖρις forma sanskritica „svârî" (svâryâs (Gen.), quam quin creemus, nihil nobis extat obstaculi, accurate responderet. Illud δ, quod nobis in genetivo ϝίριδος obviam fit, eiusdem originis est, cuius est j in narjas (Nom. pl. a narî profectus) et in svârjâs, si hunc genetivum formaremus. cf. Curt. p. 563. Nomen igitur ϝῖρις, quod, cum a radice sanskritica „svar," cui inest notio splendendi, etymologiam profectam fuisse demonstraverimus, eandem stirpem continet, quae latet sub skr. „svar" m. „coelum" atque sub Graeca voce Ἥρη, naturam primitivam eius deae, cui est nomen ϝῖρις, coelestem fuisse ostendit. Quae res cum ita sit, Ἶρις i. e. σϝῖρις digammo instructum fuisse, non solum metricis argumentis sed etiam linguarum comparatione demonstrasse mihi videor. Ultimum denique exemplum, quo hiatus litera Aeolica removetur, est: *Δ* 486 ἐξέταμ', ὄφρα ϝίτυν quem locum hiatum illicitum praebere Hoffm. I p. 92 docet.

Vocem ἴτυς digammo instructam fuisse et versu Terentiani Mauri p. 2397:

„Quamque ἴτυν dicunt Achaei, hanc βίτυν gens Aeolis" et linguis cognatis satis certe efficitur, cum ad eandem stirpem pertineat, quae extat in ἰτέη, cuius digamma ab Hoffmanno (II p. 33) non est neglectum. cf. Ahrens. Aeol. D. p. 32. Pohl. l. c. p. 17. Peters l. c. p. 17. Curt. p. 349. Invenitur haec vox etiam *E* 724. Sic postquam eas voces, quas digammo instructas fuisse constat, ex Hoffmanni exemplis excipiendas esse demonstravimus, eos locos examinare volumus, ubi hiatus e litera spiranti s iustam repetit excusationem. Illius literae vim in initio vocum nondum evanuisse, praecipue tum efficitur, cum ante eas voces, quae huc referendae sunt, productiones brevium syllabarum in literam

consonam desinentium inveniuntur. Itaque tantum hoc argumento moti ad literam spirantem s confugiemus. Iam supra vidimus, quanta fuerit vis, quam litera spirans s in initio vocum ἔχω et ἕδος reliquit; etiam in pronomine ἑός literam initialem, quae fuit s, apud Homerum nondum prorsus evanuisse hac, quae sequitur, disputatione ostendere conabor.

Pronomen tertiae personae, quod nobis apud Homerum formas ϝου, ϝέθεν, ϝεῖο (ϝέο, ϝεῦ) ϝοι, ϝε offert, neque minus pronomen possessivum ϝός atque ἑϝός in lingua Graeca vestigia reliquisse, quae praeter digamma literam initialem in his vocibus valuisse ostendunt, e re metrica, qualis est in carminibus Homericis, colligere possumus, quam literam spirantem s fuisse linguis cognatis efficitur.

Habemus enim in lingua sanskritika stirpem pronominis tertiae personae „sva", a qua in lingua Graeca originem ducunt ϝου ϝέθεν, ϝεῖο, ϝέο ϝευ, ϝοι ϝε atque pronomen possessivum ϝός, quas formas e σϝου, σϝοι, σϝε et σϝός ortas esse constat. cf. Curt. p. 352. Etymologiam vocis ἑός si respicimus, ἑός e σεϝός natum esse nobis statuendum est. cf. Schleicher: Compend. p. 219. Ut enim pronomine possessivo secundae personae τεός (quod legis *Α* 138) atque formis, quas nobis praebet dialectus Dorica, τέος = σοῦ, τέιν = σοι (cf. *δ* 619. 829. *λ* 559. *ο* 119) eo adducimur, ut has formas a genetivo secundae personae, qualis est in lingua sanskritica, „tava" (Nom. „tvam") originem duxisse dicamus, ita etiam ἑϝός, cum stirps pronominis tertiae personae „sva" in „sava" amplificaretur, vices τοῦ σεϝός gessisse nobis pro certo habendum est. Accedit, quod in lingua Latina antiquius „sovo" pro „suo" invenimus (cf. Corssen: Ueb. Ausspr. etc. I p. 175), qua forma sententia nostra de origine vocis ἑϝός etiam firmatur. Ab eadem stirpe amplificata „sava" etiam derivare debemus ἑϝοῖ, ἑέ, quae formae e σεϝοῖ, σεϝέ ortae esse habendae sunt. cf. Leskien p. 37. Itaque Hoffmannus (II p. 13) in

errore est, cum ε in ἑός e digammo ortum esse dicat. Argumenta e carminibus Homericis repetita si respicimus, pronomen personale tertiae personae, quod in Iliade locis quingentis septuaginta legitur, novem locis productionem brevis syllabae in vocalem desinentis efficit, quae metrica difficultas litera initiali s, qua olim pronomen nostrum instructum fuit, removetur. cf. ἀπὸ ϝέθεν *Z* 62. *K* 465. *M* 205. *Υ* 278. ἀπὸ ϝέο *N* 163. *Υ* 261. *E* 343. προτὶ ϝοῖ *Φ* 507 τόϝοι *X* 307 [1]). Neque minus certe constat, pronomen possessivum, quod est ϝός, apud Homerum aliquot locis literam spirantem s servasse; quod non mirum esse videtur, cum literam s in hoc pronomine diu valuisse e forma possessiva, quae est σφός, perlucide appareat. cf. Schleicher Compend. p. 218. Ut enim metricam difficultatem, quae productione brevis syllabae oritur, tollamus, formae ϝός, quae in Iliade locis centum tredecim traditur, σϝός substituere debemus cf. οὐδὲ ϝοὺς *B* 832. *Δ* 330. θυγατέρᾱ ϝὴν *E* 371. *Z* 192. *Δ* 226. *N* 376. ἄρᾱ ϝῷ *P* 196. E productione dativi in i exeuntis nihil certi de litera initiali s concludere ausim, quod hoc i apud Homerum et longum et breve invenimus cf. Hoffm. I p. 162. cf. p. 84. Itaque *E* 71 (πόσεϊ ϝῷ) *Π* 542 (σθένεῑ ϝῷ) *Ω* 36 (τέκεῑ ϝῷ) non multum valere possunt, ad literam initialem „s" voci ϝός vindicandam. Iam restat, ut de ἑός, ἑοῖ ἑέ agamus. σεϝός fuisse formam primitivam pronominis ἑός supra intelleximus, neque minus certis argumentis usi opinionem eorum, qui ε e digammo ortum esse dicunt, falsam atque a Graecorum lingua alienam esse ostendimus. Nihilo minus Bekkerus in altera Homeri recensione multis locis, quibus hiatum removendum esse putavit, formam ἑός, digammo initiali

1) Sic dubitationes Hoffmanni (cf. II p. 63. p. 122), qui has productiones molestiores esse dicit, tolluntur. Si autem idem V. D. has productiones ideo duriores esse contendit, quod digamma fuerit litera infirmior, quam aliae consonantes, falsam amplectitur sententiam, quam bene refutavit Leskien p. 44. 46.

instructam, (ϝεός) praebuit. Bekkerus enim verbis Apollonii (de pronom. p. 136), quem locum excitatum habes Ahrens. Diall. I p. 31. A. 4, eo adducebatur, ut pro ἑὸν παῖδα et ἑὰ κάδεα, quae exempla Apollonius e lyricis poetis attulit, legendum esse putaret ϝεὸν παῖδα, et ϝεὰ κάδεα. Sed iam Ahrensius illo loco ϝὸν et ϝά restituendum esse recte iudicavit. cf. K. Z. X p. 67. In Iliade vocem ἑός locis quinquaginta novem legimus:

Α 83. 496. 533. *Β* 549. 662. *Ε* 314. 318. 321. 371. *Ζ* 483. *Η* 190. *Θ* 44. *Ι* 148. 290. 420. 687. *Κ* 204. 256. 547. *Λ* 47. 403. 602. *Μ* 84. 222. 292. 403. *Ν* 26. 419. 513. 522. *Ξ* 9. 11. 223. 266. *Π* 192. 753. *Ρ* 90. *Σ* 5. 132. *Τ* 132. 277. 399. *Υ* 343. *Φ* 53. 552. *Χ* 98. 404. *Ψ* 3. 295. 360. 403. *Ω* 1. 165. 211. 296. 322. 416. 511. 755.

Bekkerus ad hiatum removendum, qui extat in pede tertio ante caesuram trochaicam, si ἑός legimus, septem locis *Λ* 47. *Μ* 84. *Ξ* 223. *Τ* 277. *Ψ* 3. *Ω* 1. 416 scripsit ϝεόν, idemque fecit, ut hiatus in pede primo tolleretur *Α* 533. *Ι* 420. 687; neque aliter res se habet *Ω* 296, ubi longa syllaba ει ante ἑόν producta servatur. Ad hunc locorum numerum accedunt etiam *Α* 83. *Β* 549. *Μ* 222. *Ω* 165. 511 ubi ν ἐφελκυστικῷ deleto formam ϝεόν restituit. Sed in ν ἐφελκ. delendo non sibi se constantem praebuit. Mirum enim esse mihi videtur, quod cum eis locis, quos modo attuli, ad ϝεόν restituendum ν ἐφελκ. deleret, idem ν ἐφελκ. sexies servavit *Ρ* 90. *Σ* 5. *Υ* 343. *Φ* 53. 553. *Χ* 98, quibus locis extat hic versus:

ὀχϑήσας δ' ἄρα ϝεῖπεν ἐϝὸν μεγαλήτορα ϑυμόν.

(all. ϝεῖπε πρὸς ὃν μεγαλ.).

quamquam *Λ* 403, ubi idem versus legitur, Bekkerus in voce ἐϝός digamma initiale restituit:

ὀχϑήσας δ' ἄρα ϝεῖπε ϝεὸν μεγαλ.

Tum idem V. D. eo peccavit, quod omnibus locis, ubi formam ϝεός restituere non potuit, ἐϝός spiritu leni instructum in textum recepit, quamquam spiritus asper et

linguarum comparatione (cf. Kuhn Z. II p. 267) et eis locis, ubi literam tenuem, quae voci ἑός antecedit, in aspiratam mutatam libri m. scr. exhibent, satis certe firmatus est. cf. *K* 204. *N* 513. *Π* 192. *T* 132 all. Itaque cum rationem, quam Bekkerus secutus est, ad metricas difficultates, voce ἑός ortas, removendas, a Graeca lingua alienam esse viderimus, quid nunc nobis de eis locis, ubi ἑός hiatum effecisse videtur, statuendum est? Hoffmannum si sequimur, *Δ* 47. *M* 84. *Ξ* 223. *T* 277. *Ψ* 3. *Ω* 1 (ubi legimus: λῦτο δ' ἀγών, λαὸς δὲ ἐϝήν ἐπὶ νῆα ἕκαστος) 416 iustam nanciscuntur excusationem e caesura trochaica pedis tertii (cf. p. 88). Sed si consideramus, vocem ἑός, quae, Ahrensio duce (K. Z. X p. 66), in Iliade et Odyssea nonaginta tribus locis legitur, si cum pronomine possessivo primae personae, ἐμός, quod eodem Ahrensio teste trecentis fere viginti locis in carminibus Homericis extat, comparamus, multo maiorem numerum locorum nobis offerre, ubi hiatum efficit, quam ἐμός; metricam difficultatem, quae hiatu oritur, non e versus sede, sed e natura firmiore primae syllabae vocis ἑός, veniam repetere dicamus necesse est. ἑός enim eis locis, quos supra dixi, exceptis etiam in tertio pede hiatum efficit β 247. 258. δ 338. ε 76. η 134. λ 614. ο 132. ϱ 129. Videmus igitur, sextam fere partem eorum locorum, ubi ἑός in carminibus Homericis legitur, metricam efficere difficultatem, cum ἐμός, quod locis quattuordecim in eadem versus sede traditur, (*A* 565. *Δ* 412. *E* 896. *I* 57. *Π* 848. *Y* 20. 205. κ 178. 428. μ 199. 222. 258. ξ 249. ω 328) partem vicesimam tertiam locorum, quibus extat, ita praebeat, ut auctor sit hiatus. Attamen non solum in caesura trochaica pedis tertii, sed etiam pedis primi pronomen ἑός ter causa hiatus est. cf. *A* 533. *I* 420. 687. Si reputamus, his locis contineri tertiam partem eorum exemplorum, quae Hoffmannus attulit, ad hiatum in hac versus sede excusandum, etiam firmatur sententia nostra de firmiore natura primae sylla-

bae vocis ἑός, quae, cum e σε-(ϝος) oreretur, vim literae spirantis s nondum prorsus apud Homerum amiserat. Ut autem literam initialem s in hac voce apud Homerum valuisse statuamus, nos cogit praeter η 7, ubi legimus: αὐτὴ δ' ἐς θάλαμōν ἑὸν ἴιε, N 495 ὡς ϝίδε λαῶν ἔθνος ἐπισπό μενōν ἑοῖ αὐτῷ, quo loco in caesura seminovenaria ante ἑοῖ brevem syllabam in consonam literam exeuntem productam invenimus. ἑοῖ, formam pronominis personalis, multum valere ad possessivum ἑός recte explicandum, supra intelleximus, cum sub utraque forma stirpem „sava" occultam esse, ideoque primam syllabam ἑ eandem prae se ferre originem ostenderimus. Hoffmannus quidem (I p. 103) hac productione nihil demonstrari posse docet, cum ad eas pertineat, quae efficiuntur in caesura seminovenaria. Sed videamus, quid de hac Hoffmanni sententia iudicandum sit. Ex illis undecim exemplis, quibus ille V. D. opinionem suam firmare vult, sex eiusmodi sunt, ut productiones e literis initialibus ϝ s, j, quibus antiquitus singulae voces instructae fuerunt, rectam repetant excusationem. Sic Ω 765 nihil valere potest, quod ἔτος a digammo inchoavisse iam diu constat, cf. Leskien l. c. p. 13. Peters l. c. p. 17. Curt. p. 189. Litera spiranti s, a qua verbum ἔχω inchoavisse demonstravimus (cf. p. 40), productiones, quae inveniuntur E 752. Θ 396, sanantur. Ibi enim legimus:

κεντρηνεκέᾱς ἔχον.

Spirans palatalis j, a qua pronomen relativum incepisse constat (cf. p. 98), productioni, quae extat Δ 85 (θεοπρόπιōν ὅτι ϝοῖσθα), iustum affert auxilium. De Σ 589, ubi legimus: κατηρεφέᾱς ἰδὲ cf. p. 103; atque Ξ 357 productionem syllabae ον in Ποσείδαōν, ἐπάμυνε e vocativi natura optimam nancisci explicationem, p. 124 ostendemus. Itaque Hoffmanni sententia tantum quattuor exemplis firmatur; nam K 281. Ξ 139. T 396. Ψ 74. productio brevis

syllabae in literam consonam desinentis literis spirantibus excusari non potest. E tam autem exiguo numero locorum nihil de magna firmitate caesurae seminovenariae concludi posse quisque intelliget. Haec exempla satis certe demonstrant, cum vis spirantium literarum, qualis erat in initio vocum, iam e linguae memoria evanuisset, poetas, falsam analogiam secutos, sibi licere putavisse, ubicunque vellent, brevem syllabam in consonantem exeuntem productam servare, cum non intellegerent, hanc productionem antiquitus ante eas voces permissam fuisse, ubi litera initialis aut ϝ aut j aut s fuerat. Si δ 643 in arsi quinta legimus: ἠ̃ ἑοῖ αὐτῷ ita, ut ἠ̃ productionem servet, haec metrica difficultas non eo excusatur, quod Π 12 in cadem versus sede legimus: ἠ̃ ἐμοῖ αὐτῷ (cf. Leskien p. 39); sed nobis statuendum est, poetas, cum non amplius novissent, spiritum asperum in pronomine ἑοῖ vices spirantis literae s gessisse, ideoque productionem vocis ἠ̃ permissam esse, non dubitavisse, hanc vocem etiam eo loco productam praebere, ubi e litera initiali vocabuli subsequentis nihil auxili afferri poterat. Itaque literam spirantem, quae in ἑϝός fuit s, etiam apud Homerum certa reliquisse vestigia, hac disputatione demonstrasse mihi videor.

Eis vocibus, quas a litera spiranti s inchoavisse carminibus Homericis satis certe efficitur, adnumerandum est pronomen demonstrativum ὁ, ἡ. Hîc spiritum asperum e s ortum esse et pronomen sanskriticum „sa, sâ,“ et formae Graecae σήμερον σῆτες (att. τήμερον, τῆτες), quibus nostri pronominis stirps continetur, ostendunt cf. Curt. p. 353. Praeterea nobis non neglegendae sunt antiquiores Nominativi pluralis formae (τοί, ταί (cf. skr. tê), quae una cum οἱ et αἱ in Homericis carminibus inveniuntur. Argumenta ex Homero repetita si inspicimus, hoc pronomen quatuor locis favet hiatui, qui extat in caesura trochaica pedis tertii cf.:

H 306. τὼ δὲ διακρινθέντε ὁ μὲν
Λ 378. ἐν γαίῃ κατέπηκτο. ὁ δὲ
O 447. ἡνία χερσὶν ἔχοντα. ὁ μὲν
Σ 434. πολλὰ μάλ οὐκ ἐθέλουσα. ὁ μὲν.
cf. Hoffm. I p. 88. 89. Hiatum illicitum efficit
T 93. πίλναται ἀλλ' ἄρα ἥγε. cf. Hoffm. I p. 93.

Accedit, quod saepissime ante idem pronomen invenimus productiones brevium syllabarum, quae in literam consonam exeunt. Sic legimus in caesura semiseptenaria, qua versus sede productionem excusari non posse supra vidimus:

Ω 470. Ἰδαῖαν δὲ κατ' αὖθι λίπεν· ὁ δὲ.

In caesura semiquinaria breves syllabae producuntur ante hoc pronomen:

Α 342. τοῖς ἄλλοις· ἦ γὰρ ὅ γ'·
Λ 168. ἱέμενοι πόλιος· ὁ δὲ
674. ῥύσι' ἐλαυνόμενος· ὁ δ'
M 288. αἱ μὲν ἄρ' ἐς Τρῶας· αἱ δ' ἐκ.
Ξ 11. χαλκῷ παμφαῖνον· ὁ δ' ἔχ'
P 196. πατρὶ φίλῳ ἔπορον· ὁ δ' ἄρα
T 367. δῦν' ἄχος ἄτλητον· ὁ δ' ἄρα
Y 239. Ἀσσάρακος δὲ Κάπυν· ὁ δ' ἄρ.
472. θυμοῦ δευόμενον· ὁ δὲ
481. πρόσθ' ὁρόων θάνατον· ὁ δὲ
Φ 118. δῦ ξίφος ἀμφῆκες· ὁ δ' ἄρα
Ψ 779. ὡς ἦλθε φθάμενος· ὁ δὲ

Idem est in caesura semiternaria:

H 416. Ἰδαῖος ὁ δ' ἄρ
Z 240. καὶ πόσιας· ὁ δ' ἔπειτα
Ψ 756. Ἀντίλοχος· ὁ γὰρ.

Hoffmannus quidem (p. 102) semiquinariae et semiternariae productionem per se bene stare firmat, sed si exempla, quibus sententiam suam iuvare vult, inspicimus, maximae eorum parti literae spirantes rectam afferunt explicationem, id quod postea ostendemus. Itaque mihi per-

suasum est, ubi productionem literis spirantibus, quibus antiquitus voces instructas fuisse linguarum comparatione efficitur, ortam esse demonstrare possumus, Hoffmanni sententiam esse deserendum.

Longae syllabae, arsis locum obtinentes, saepissime ante hoc pronomen producuntur. cf. -*αι*. *Γ* 120. *Z* 510. *N* 369. *O* 267. *Π* 359. *Ψ* 520. -*ει*. *O* 365. -*οι* *Θ* 270. *Λ* 394. *Φ* 519. *Ψ* 641. -*ου* *B* 268. 621. *N* 662. *O* 383. *Σ* 499. -*ῃ* *B* 707. *Γ* 349. *Z* 87. *Θ* 355. *I* 189. 332. 565. *O* 106. 647. *Π* 413. 579. *P* 45. *Y* 395. 480. -*ῳ* *B* 515. *Δ* 531. *Θ* 496. *N* 176. 193. 376. 611. 823. *Ξ* 499. *O* 551. *Φ* 445. 530. -*η* *Λ* 446. *Z* 390. *K* 374. *Π* 339. *X* 224. *Ψ* 624. 797. *ἤ* *Λ* 190. *E* 673. *ἦ* *Γ* 409. *K* 504. *Φ* 113. *μὴ* *Ω* 584. -*ω* *E* 153. *I* 391. *M* 205. *P* 228. *Ω* 509.

Iam cum consideremus, in tanta locorum multitudine pronomen demonstrativum longam vocalem aut diphthongum excipere, ita ut syllabae pronomini antecedentes productae serventur, non facere possumus, quin causam harum productionum firmiore natura literae spirantis, qua antiquitus hoc pronomen fuit instructum, contineri dicamus, praesertim cum alia certa argumenta attulerimus, quae literae s initiali in hoc pronomine favent. Ut autem literam initialem *τ* servatam invenimus in nominativo pluralis, *τοί*, qui una cum *οἱ* in carminibus Homericis invenitur, ita etiam literam s in nominativo singularis apud Homerum valuisse non est quod miremur.

Etiam *ὑπὸ* in numerum earum vocum esse redigendum, quae apud Homerum firmiorem naturam primae syllabae servarunt, demonstrabo. Spiritum asperum in hac praepositione munere literae s functum esse e latino „sub" perlucide apparet. *ὑπό* ter hiatum efficit in caesura trochaica pedis tertii:

Z 501. *οὐ γάρ μιν ἔτ' ἔφαντο ὑπότροπον*
T 133. *ἔργον ἀεικὲς ἔχοντα ὑπ'*
Ω 637. *οὐ γάρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ.*

Duobus locis in caesura semiquinaria brevis syllaba in consonantem desinens producitur cf.

Ν 368. τῷ δ' ὁ γέρων Πριάμο̄ς ὑπὸ

Σ 347. ἐν δ' ἄρ ὕδωρ ἔχεᾱν, ὑπὸ.

Maximam autem offensionem movet, quod encliticum πω ante ὑπό productum invenimus Ψ 7.

μὴ δὴ πω̄ ὑπ' ὄχεσφι.

Hoffmannus II p. 170 cf. p. 186 hanc productionem in numerum malarum redigit. Tum θεά ante ὑπό productionem vocalis α servat cf.

Α 401. ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐλθοῦσα, θεᾱ́, ὑπελύσας.

Hoffmanno (I p. 63) teste illud ᾱ, quod idem valet, quod η, hoc loco excepto, tantum Κ 290 producitur ante vocem a vocali incipientem, sed cum j in ὅτε valuisse constet, ille locus nihil demonstrat, quamobrem Α 401 multum valere puto ad literam spirantem praepositioni ὑπό vindicandam. Idem esse statuo Π 438 ἢ ἤδη ὑπὸ χερσὶ, qui locus solum offert exemplum secundae syllabae η in ἤδη ante vocem a vocali literam inchoantem productae. Praeterea longas vocales aut diphthongos ante ὑπὸ productas inveni Α 401. Β 492. 860. Δ 421. 423. Η 469. Ι 204 Λ 433. 749. Μ 250. Ν 408. Ο 613. Π 341. 699. 848. 861. Σ 92. 390. Χ 200. Ω 279.

Itaque cum metricae difficultates, quae praepositione ὑπό ortae esse videntur, tantum ea re removeantur, quod apud Homerum in initio huius vocis literam s loco spiritus asperi valuisse statuimus, non dubito, quin ea sententia, quam Curtius p. 261 No. 392 et Leo Meyer (Vgl. Gr. des Gr. u. Lat. Bd. I p. 53) amplectuntur, cum spiritum asperum in ὑπό non e litera s, sed ex eo studio, quo υ initiale captum spiritui aspero favere solet, ortum esse rati, s in sub tantum linguae Latinae proprium esse suspicentur, certo careat fundamento. Ut mihi videtur skr. „upa“ et Graecum ὑπό e „supa“ et „συπό“ originem duxerunt. De sanskritico „upa“ Kuhnius (Ztschrft. XV p. 407) idem sentit,

atque si ὑπό respicimus, sententia nostra argumentis e re metrica Homerica repetitis firmatur.

Accedamus nunc ad vocem ἅμα. Hiatum efficit, in caesura trochaica pedis tertii Γ 376.

κεινὴ δὲ τρυφάλεια ἅμ' ἕσπετο.

Breves syllabae in consonantem exeuntes ante ἅμα producuntur:

a) in caesura semiquinaria:

Α 226. οὔτε ποτ' ἐς πόλεμōν ἅμα.

b) in caesura semiternaria:

Β 745. οὐκ οἶōς, ἅμα τῷ γε.

822. οὐκ οἶōς, ἅμα τῷ γε.

Tum huc refero Ω 47, ubi ante ὁμο in ὁμογάστριον brevis syllaba producitur cf.

ἠὲ κασίγνητōν ὁμογάστριον.

Longas vocales ante ἅμα in arsi productas inveni Ι 618. Ν 613.

Ἅμα et ὁμός ab eadem stirpe, quae s initiale praebet, derivanda esse iam diu constat; nam ὁμός et ἅμα (dor. ἁμᾶ), qua forma antiquiorem instrumentalem contineri Kuhnius (Ztschr. II, 128) demonstravit, ad eandem radicem pertinent, quae sub skr. „samas" „samam" latet cf. Curt. p. 288. Attamen non solum in lingua sanskritica s initiale servatum habemus, sed etiam in lingua Graeca certa extant argumenta, quae adhuc spirantem s in initio harum vocum valuisse ostendunt. Ut enim adiectivum σαμός = ὁμός statuamus, nos movent compluria nomina propria, quae in inscriptionibus inveniuntur, cf. Σαμοθοίνου („Schmausgesell"). Σαμοκλῆς = Ὁμοκλῆς. Σαμόλας („von gleichem Volk"). Σαμοκράτευς („von gleicher Stärke"). De his nominibus conferas ea, quae Savelsberg (K. Ztschr. XVI p. 63) disputavit. Utrum etiam nomen insulae Σάμος ad eandem stirpem referendum sit, necne, in dubio relinquo. Praeterea σομ pro ὁμ- habemus in nomine Σόμφορος cf. Savelsberg l. c. p. 66. Omnia haec exempla satis certe demonstrant, spiritum

asperum in ἅμα et ὁμο- ortum esse e litera s, quam, fortasse antiquioris poeseos usum imitatam, apud Homerum vim suam nondum amisisse exemplis, quae supra attuli, efficitur. Itaque ϝ, quo instructum ὁμός invenimus (cf. Thiersch. Gr. Gramm. p. 227) fidem non habet, quia fieri non potest, ut spirans labialis e dentali oriatur cf. Pott. Et. Forschg. I p. 827. Verisimillimum est, errore vocem nostram digammate praeditam, esse.

Utrum etiam in voce ἄδος, quae in caesura trochaica pedis tertii *Λ* 88 hiatum efficit cf.

τάμνων δένδρεα μακρά, ἄδος τέ μιν

litera initialis s valuerit, necne, nunc videamus. Bekkerus in altera carminum Homericorum recensione hanc vocem, quae tantum hoc loco extat, digammo instruxit, idemque fecit in participio ἀδηκότες, quod in formula καμάτῳ ἀδηκότες quater in Iliade legitur cf. *K* 98. 312. 399. 471. Si de origine huius vocis quaerimus, Christius l. c. p. 264 literam spirantem non agnoscens, ad radicem skr. „av“ (gr. ἄμεναι) confugit, a qua profectus duplex δ in ἄδδην ex ἄϝδην ortum esse docet. Ut duplex δ in ἄδος restituatur, *Λ* 88 legere vult:

τάμνων δένδρεα μακρ' ἄδδος τέ μιν ἵκετο θυμόν.

Sed cum formae ἄδδην, ἅδην, ἄδην in Graeca lingua inter se mutentur, non est, quod ἄδος duplici δ instruamus. cf. Curt. p. 572. Curtius una cum Pottio (Etym. Forschg. II, 854) ἄω et ἄδδην ad eandem stirpem pertinere suspicatur, quae sub „satis,“ „satur“ latet cf. p. 614 p, 347. δ duplicatum atque productionem syllabae α in ἅδην e j, quod δ sequebatur, ortum esse idem V. D. ostendit cf. p. 572, cum δj non solum in ζ sed etiam in δδ transire posset, aut cum, litera j amissa, syllaba antecedens produceretur. Hanc solam esse rectam viam δ duplicis explicandi mihi persuasum est; atque in etymologica darivatione earum vocum, quas tractamus, ideo Curtii et Pottii partes suscipiam, quia spiritum asperum in ἅδην recte explicant. Iam si

rationem habemus rei metricae, qualis est apud Homerum, non invenitur locus, qui ut literam spirantem in voce ἅδος valuisse statuamus, nos cogit. Non enim extat productio brevis syllabae in consonantem desinentis ante ἅδος et ἀδηκότες, quod argumentum deesse non debet ad literam spirantem voci tribuendum, neque his vocibus hiatus oritur illicitus. Itaque e Λ 88 nihil de litera spiranti concludere possumus, praesertim cum aliam habeamus viam, qua istum hiatum explicare possumus (cf. p. 109). Eos locos, ubi καμάτῳ ἀδηκότες producta vocali litera ῳ legimus, nihil demonstrare posse quisque intelliget, cum ῳ in arsi saepissime ante vocales productionem servet (cf. Hoffm. I, 60). Quamobrem Bekkerus non merito vocem ἅδος digammo instruxit.

Iam accedamus ad Ξ 285, ubi Hoffmanno duce (I p. 93) extat hiatus illicitus cf.

βήτην, ἀκροτάτη δὲ ποδῶν ὑπὸ σείετο ὕλη

Etiamsi nullo alio loco metricam difficultatem voce ὕλη ortam invenimus, tamen hoc loco memoriam literae initialis s nondum evanuisse, alio certo argumento efficitur. ς in ὕλη adhuc servatum est in Σκαπτη-σύλη lat. Skaptensula (cf. Lachmann z. Lucret. VI p. 810), ita ut non dubitem, quin haec antiquior forma hiatui illicito iustam explicationem afferat.

Quamquam omnia exempla enumeravimus, quae, si rationem habemus hiatus qui oritur tum, cum brevis vocalis brevi syllaba, in vocalem desinente, excipitur, e litera initiali s iustam repetunt excusationem, tamen hoc loco eae voces tractandae mihi sunt, de quarum litera initiali s tantum e productione brevium syllabarum in consonantem exeuntium, quae est in caesuris semiquinaria et semiternaria, aliquid certi concludi potest. Magnam esse eorum locorum multitudinem Hoffm. I p. 102 docet, sed in dimidia illorum locorum parte literae spirantes metricam explicant difficultatem. De productionibus, quae extant in caesuris

semiseptenaria et seminovenaria, iam supra egimus cf. p. 37—43 p. 69.

Primum agamus de voce ἅλς, quam antiquioris poeseos usum imitatam apud Homerum vestigia literae initialis s reliquisse ego quidem colligo ex ea formula, quae extat:

B 165. μηδὲ ἔα νῆας ἅλαδ' ἑλκέμεν
181. μηδὲ ἔα νῆας ἅλαδ' ἑλκεμεν
cf. *ν*. 108. φάρε' ὑφαίνουσῑν ἁλιπόρφυρα

Quibus locis addo:

Ω 84. εἵαθ' ὁμηγερέες ἅλιαι θεαί·

Deinde nobis non neglegendum est *Φ* 122.

οἴσει δινήεις εἴσω̄ ἁλός

Hoffmannus p. 65 hunc locum solum exemplum productionis vocalis ω in εἴσω offerre docet.

Praeterea ante ἅλς longas vocales in arsi productas vidi *E* 598. *N* 797.

Iam si reputamus, Graecam vocem ἅλς, non neglecto adiectivo ἀμφίαλος, quod hiatu, qui extat in media voce (cf. α 386) literam spirantem excidisse ostendit, ad eandem pertinere stirpem, quae occulta est sub sanskritico „saras,“ latin. sal. got. „salt“ cf. Curt. p. 482, metricam difficultatem voce ἅλς ortam bene explicari non est quod negemus.

Tum hoc loco de vocibus εἷς et ἑκατόν agamus necesse est, ante quas breves syllabae producuntur:

B 449. πάντες ἐυπλεκέες, ἑκατόμβοιος
Λ 40. τρεῖς ἀμφιστρεφέες, ἑνὸς αὐχένος.

Duobus locis εἷς hiatum effecisse videtur:

E 603. τῷ δ' αἰεὶ μάρα εἷς γεθεῶν.
Y 98. αἰεὶ γὰρ πάρα εἷς γεθεῶν.

Sed cum secundum α in πάρα natura fortiore praeditum esse infra demonstraturi simus, hi loci non multum valent.

Longae syllabae arsis locum obtinentes ante εἷς producuntur *B* 204. *O* 710. *P* 267. Huc etiam refero vocem ἕκαστος, quae locis sexaginta quinque — Bekkeri alteram Homeri editionem sequor — finem versus obtinet ita, ut hiatus existat illicitus. cf. *A* 606. *B* 164. 180. 449. 509. 610. 618. *Γ* 326. *E* 37. 470. 792. 878. *Z* 72. *H* 175. 185. 215. 371. 424. *Θ* 233. 347. 562. *I* 11. 66. 85. 88. 383. 712. *K* 68. 432. *Λ* 76. 291. 634. 748. *N* 121. 155. 230. *Ξ* 87. 111. *O* 369. 500. 514. 660. 662. 667. *Π* 169. 202. 210. 275. 351. 697. *P* 222. 552. *Σ* 31. 299. *T* 84. 277. *Y* 44. 353. *X* 415. *Ψ* 26. 58. 203. *Ψ* 374. 497. *Ω* 1. In pede secundo locis undecim hiatus extat illicitus: *A* 550. *B* 127. *H* 100. *I* 656. *K* 166. *Λ* 706. *Ξ* 507. *Π* 283. *P* 215. *T* 339. *Ψ* 95. In caesura trochaica pedis tertii ἕκαστος hiatum efficit: *B* 719. *P* 226. *Σ* 375. *Ψ* 350. ν εφελκυστικὸν si delemus viginti tribus locis ἕκαστος literam spirantem amplectitur, *B* 451. 775. 805. *Γ* 1. *Δ* 428. *E* 195. *H* 334. *Θ* 520. 544. *I* 203. *K* 473. *Λ* 47. 731. *M* 84. *O* 109. 701. *P* 250. 386. *Σ* 496. *Y* 25. *Ψ* 130. 370. 371. Ter decies literam spirantem a se alienam praebet ἕκαστος. *I* 180. *K* 215. 387. *Λ* 11. *Ξ* 151. *O* 189. 288. 505. *P* 252. *T* 302. 332. *Ψ* 55. 107. Iam forma ἕεις (Hesiod. theog. 145) nobis ostendit, literam excidisse spirantem, cui vocalis ε, ut in ἐέρση, ἐίση anteposita erat. Cum maxima pars eorum exemplorum, quibus vocalis ε προθετικῶς anteposita est, digamma amiserit, reliqua, ubi ad literam Aeolicam confugere non licet, falsam analogiam secuta existimantur cf. Curt. p. 511. Christius (p. 254), ut ε in ἕεις recte explicet, formam skr. „vanas,“ statuit, quam ex „avanas“ ortam esse putat, quamobrem, cum εἷς i. e. ϝεῖς e ϝανς = vanas originem duxisse suspicetur, literam Aeolicam, quae est digamma, e accessorio (ἕεις) lucem afferre demonstrare conatur. ἑ in ἑκατόν e simplici stirpe pronominali „ava = va“ oriri docet. Hanc originis vocis εἷς

investigandae viam maxime incertam esse, quisque intelligeat, praesertim cum formam sanskriticam „avanas“ nullo argumento firmatam esse consideret. Rectam viam huius vocis explicandae ingressus est Ahrens (Ztschrift für die Alterthumswissenschaft 1844 No. 7. 8 p. 52—61), cum εἷς ad stirpem sanskriticam, quae latet sub „sama,“ referat. Eum secutus est L. Meyer (K. Ztschr. V p. 161—166. cf. VIII, 129—147), qui eodem modo, quo τιθείς e τιθένς oriebatur, εἷς ex ἕνς i. e. sams originem duxisse demonstravit, cum p. 163multa exempla attulerit, quibus etiam in media voce sanskriticum m in ν transire posse efficitur; μία e σμία i. e. σεμια, σαμια derivandum esse ostendit.

Si literae ε in ἑκατόν rationem habemus, iam Boppius (Vgl. Gr. II p. 87) illud ἑ ex ἕν ortum esse docuit, quam sententiam etiam Curtius p. 126. cf. p. 409 et L. Meyer amplectuntur. Quamobrem probare non possum illam explicationem, quam Ahrens (K. Z. VIII p. 348) protulit, cum ἑκατόν e δεκατόν mutilatum esse dicat. Huic nostrae derivationi vocis εἷς repugnare videtur illa forma ἑείς, cum, si Curtium p. 352 et Christium p. 253 sequimur, eis vocibus, quas a litera s inchoavisse constat, numquam ε protheticum addatur, quod solum fiat in eis vocabulis, quae a digammate incipiunt. Sed huic sententiae non assentior, cum exempla afferre possim, quibus ε etiam eis vobus, quas olim a litera s incepisse constat, antepositum esse satis certe efficitur. Lectori in memoriam revoco superlativum ἐέσχατος (Suid.) pro ἔσχατος, ubi ε antepositum, si Curtium p. 511 sequimur, falsa imitatione adiuvante ortum est. Sed videamus! ἔσχατος superlativi formam amplexum ad praepositum ἐξ pertinere constat cf. Curt. p. 345. De origine huius praepositionis si quaestionem instituimus, argumenta e linguarum cognatarum comparatione repetita nos eo adducunt, ut in initio huius praepraepositionis literam s valuisse dicamus. Lingua Zendica nobis proponit praepositionem „haca“ (cf. Iusti p. 315),

quae, si cum instrumentali, ablativo, genetivo et locativo coniungitur, ad easdem rationes describendas adhibetur, quibus exprimendis in Graeca lingua nostra, quam tractamus, praepositio inservit. „haca“ cum instrumentali con;unctum habes yt. 19. 44 haca raokshna garô nmâna i. e. e lucidis aedibus reverentiae (i. ex aedibus Ovomazdis); ablativum „haca“ regit v. 6, 68 apat haca nizbarayen i. e. ex aqua eferant. y. 46. 1 haca ashât i. e. e puritate originem ducens. vd. 13. 103 ahmat haca = ἐκ τούτου; cum genetivo coniunctum invenis „haca“ yt. 17. 57: cf. haca jahikayâo „mereticis“ causa. Cum autem constet, zendicum h sanskritici s vices gerere cf. Schleicher: Compend. p. 194, singularum literarum mutatio me monet, ut zendico „haca“ sanskriticam praepositionem „sacâ“ comparem. Significatio huius praepositionis, quae est „cum“ (cf. Benfey: Gloss. z. Sama Veda p. 188), me prohibere non potest, quominus hanc comparationem veram esse statuam, cum Iustio auctore „haca“ cum genetivo coniunctum eundem sensum describat, cf. géus haca i. e. cum pecude. Eodem modo in Graeca lingua praepositionem ἐκ adhuc cum Genetivo, instrumentali et ablativo coniunctam invenimus. Instrumentalem si respicio, mihi in animum venit ἐκ θεόφιν (*P* 101) ἐκ παντόφιν (*ω* 83), de quibus formis conferas L. Meyer: Gedrgte. Vergleichg. der gr.uu. lat. Declinat. p. 54; quod attinet ad ablativum, ego dico terminationem θεν, quae ablativi naturam amplexa nominibus affigitur cf. ἐξ ἁλόθεν (*Y* 355) cf. L. Meyer l. c. p. 36. Ut autem sensum praepositionum „haca“ et ἐκ quoquoversus eundem esse intelleximus, ita etiam utriusque vocis conexum e singularum literarum commutatione demonstrare possumus. Cum Zendicum h e s ortum sit, spiritum lenem in voce ἐκ partes literae s suscepisse certis argumentis firmatur. Spiritum lenem autem e spiritu aspero ortum esse forma ἕκ efficitur, in qua spiritum asperum non iustum locum obtinere Curtius p. 617 firmat; sed ille optime explicatur,

cum e „s“ ortus sit. Literam „c“ in „haca“ in linguis cognatis gutturali „k“ respondere etiam constat cf. Schleicher: Compend. p. 186. Ita, cum altera vocalis a in „haca“ amitteretur, orta est forma ἐκ, quam primitivam non fuisse ostendam. s enim, quod habemus in ἐξ i. e. ἐκς, eiusdem originis est, cuius est s in ἄψ; linguam Latinam si respicimus, formae „abs“ et „sus“ i. e. „subs“ idem s prae se ferunt, quo Graeca exempla instructa fuisse modo vidimus. Ut autem illud s, quod in ἄψ, abs, sus (subs) invenimus, aricae formae, quibus hae voces comparandae sunt, aspernari videntur, — nam „abs, ἄψ“ cum sanskritico „apa,“ et „subs“ cum sanskritico „upa“ conferendum est — ita etiam s in voce ἐκς a linguis aricis neglectum iacere videtur. Attamen Kuhnius (Ztschr. XV p. 407), cum e vedico apâ (pro apa) atque e zendico apo i. e. apas, formam primitivam „apas“ statuendam esse demonstret, etiam „upa“ antiquiorem formam „upas“ substituit, id, quod vocibus Latinis „abs“ atque „sus“ i. e. „subs“ firmatur cf. Pott. Etym. Forschg. I, 250. Sed exempla, „avaskṛta, upaskṛta upaskara,“ quae Pottius l. c. affert, ut praepositiones „ava et upa“ de origine „avas“ et upas“ fuisse ostendat, non multum valere mihi vidéntur, cum in his vocibus s ad radicem „kar“ pertinere mihi persuasum sit. Illud enim s, quod etiam in „sanskṛta“ habemus, ad radicem „kar“ referendum esse ut statuam, monet me forma Aoristi „askṛta,“ ubi ex augmento vix iusta explicatio literae „s“ repeti potest cf. Benfey: Gloss. z. Sam. Vd. p. 47. Sed nihilo minus forma „avas“ in lingua sanskritica certis testimoniis firmatur cf. Bhtlgk. u. Roth. Skrt. Wrt. I p. 490. Si autem „apas“ „upas“ antiquiores formas fuisse constat pro „apa atque upa,“ quin etiam „haca“ primitivum „hacas“ substituamus, quid nobis extat obstaculi! Sic etiam explicatur producta vocalis â in „sacâ,“ cuius productio non aliter, atque in „apâ“ (pr. apa i. e. apas) ea re explicatur, quod s in „sacas“ amittebatur, quam iacturam ut compensaret, vocalis a producebatur. Quamobrem s in

ἐξ eisdem argumentis explicatur, quibus s in „abs“ atque „subs.“ Quomodo autem forma ἐς, quam pro ἐκ invenimus in dialecto Boeotica (Ahrens. Diall. I p. 213. 214), explicanda sit, si quaerimus, nobis pro certo habendum est, eodem modo, quo e „subs“ „sus“ ortum est, cf. sustinere (pro substinere), suscipere (pro subscipere) cf. Pott. Et. Forschg. I 250, e forma ἐκς, cum κ evanesceret, ἐς nasci posse, quod ἐς ante vocalem in ἐςς mutatum fuisse forma ἐσσάρχει = ἐξάρχει (cf. Ahrens l. c.) efficitur.

Hac mea etymologica explicatione ad finem perducta Curtio assentiri non possum (cf. p. 344), qui ἐξ ex antiquiore ἐκ ortum esse docet, neque dubitationibus, quae Pottium (Et. Forschg. I, 613) movent, quominus hanc explicationem teneam, prohiberi possum.

Quodsi ille Vir doctissimus dicit: *Denn zugegeben, das* h, *welches ein älteres* s *voraussetzt, sei im Griechischen, wie in* ἕξ *lat.* sex *weggeblieben, wie sollte das haben im Griechischen geschehen können?* ego respondeo, in quaestione de origine praepositionum in earumque comparatione saepissime diversa literarum commutatione magnas existere difficultates, quae tamen nos non impediunt, quin earum comparationem veram esse statuamus. Sic, ut exemplum afferam, in lingua sanskritica „upa“ iuxta latinum „sub,“ (graec. ὑπὸ) invenimus, ubi nobis maximae est offensioni, quod praepositio sanskritica „upa“ litera initiali „s“ caret; sed nihilo minus stirpem harum praepositionum eandem esse firmavimus. Omnino in hac tota quaestione sententiam amplectamur necesse est, quam Curtius p. 76: protulit: „*Man darf diese kleinen unselbstständigen Wörtchen nicht mit demselben Massstabe messen, wie* Nomina *und* Verba.“ Praeterea autem idem argumentum, quod Pottius profert, ad derivationem e zendico „haca“ refutandam, ad eam quaestionem, quam ipse de origine vocis ἐκ p. 612 instituit, transferre possumus. Cum enim „v“ in lingua Latina, tum, cum literae initialis vice fungitur, tantum ante

sequentes literas r et l evanuisse constet, (cf. Corssen: Vocal. Ausspr. I p. 134. L. Meyer: Vgl. Gr. I p. 78) (cf. rigare pro vrigare, graec. ϝρέχειν skr. varsh, cf. laqueus pro „vlaqueus gr. βροχὸς, got. vruggô (Schlinge), quomodo fieri poterat, ut in lingua Latina ante „e, ex" v evanesceret, cum sanskriticum „vahis," quod sensum τοῦ „extra, foras" (cf. Bopp. Gloss. p. 314) praebet, etymon nostrae praepositionis esse ille vir doctus firmet, quam sententiam etiam Christius (p. 146) amplectitur.

Literam s, e qua spiritum lenem in ἐκ ortum esse demonstravimus, etiam in carminibus Homericis vim et auctoritatem suam nondum prorsus amisisse, certis exemplis ostenditur.

Primum maximam offensionem movet illud, quod *οι* encliticum ante ἐκ productum invenimus ξ 460.

εἴ πώς ϝοῖ ἐκδὺς χλαῖναν πόροι.

Hoffmannus p. 71 ad verborum transpositionem confugit, quam non necessariam esse ostendam. Si constat, quod idem vir doctus firmat, hunc versum non recentissimis temporibus esse confectum, quid nos impedit, quin eum eo tempore ortum esse dicamus, quo memoria literae initialis s nondum e linguae memoria evanuerat. Sic duos illos locos in Odyssea, ubi *οἱ* encliticum ante vocalem productum se praestat, litera initiali s sanari ostendimus. (De *ν*. 343 cf. p. 30.)

Deinde in prima thesi sine interpunctione bis *ου* ante ἐκ productum habemus, quod argumentum in nostra quaestione non paulum valet; accedit, quod, Hoffmanno teste (I p. 56. 3), sola sunt exempla vocalis *ου* in prima thesi sine interpunctione productae cf.

E 666. μηροῦ ἐξερύσαι δόρυ μείλινον

K 505. ῥυμοῦ ἐξερύοι ἢ ἐκφέροι.

Praeterea nobis non neglegendi sunt *K* 505 et *X* 152, ubi ἢ in tertia thesi ante ἐκ productum se praestat.

In arsi productam inveni diphthongum *ει* ante ἐκ,

quae diphthongus Hoffmanno duce p. 62 tantum quatuor locis producitur. cf.:

Φ 112. ὁππότε τις καὶ ἐμεῖο Ἄρεϊ ἐκ θυμὸν ἕληται

Si consideramus, hunc locum neque minus *Z* 126, (ubi legitur: σῷ θάρσεϊ, ὅτ'), e literis spirantibus s et j iustam repetere excusationem, reliqui duo loci *Φ* 431 et *X* 299, ubi hanc explicationis viam inire non possumus, cum memoria literarum initialium s et j in ἐκ et ὅτε iam e lingua evanuisset, falsa imitatione adiuvante productionem diphthongi ει servaverunt.

Alias longas vocales et diphthongos in arsi productas ante ἐκ inveni *B* 690. 809. *E* 207. 322. *Θ* 58. *Π* 749. *Υ* 459. *Φ* 598. 157. *Ψ* 17. *Ω* 761. Iam revertamur ad vocem ἔσχατος, quae apud Suidam praebet formam ἐέσχατος. Ut ε eis vocibus, quae digammo erant instructae, saepissime praefigitur, cf. ἐέλσαι i. e. ἐϝέλσαι, ἐέλδομαι i. e. ἐϝέλδομαι, ἐέργει i. e. ἐϝέργει cf. Curt. 510, ita etiam ε in ἐέσχατος nobis ostendit, literam excidisse, quae s fuerit, etymologia praepositionis ἐκ, ἐξ satis certe efficitur. Itaque ἐέσχατος dicitur pro ἐσέσχατος.

Aliud exemplum, quo ε antepositum literam s initialem amissam esse demonstrat, est ἐεχμένη, συνεχομένη (Hesych.) Curtius p. 176, (cf. Christ. p. 134) cum hanc formam ad radicem sanskriticam „vah," quae in Graeco ὄχος servata est, pertinere statuat, ἐεχμένη ex ἐϝεχμένη ortum esse firmare conatur. Sed cum non intellegam, quomodo significatio, quae inest radici „vah" (lat. veho), cum eo sensu, quem ἐεχμένη describit, conciliari possit, mihi persuasum est, participium ἐεχμένη ad radicem „sah" pertinere, quam adhuc sub Graeco verbo ἔχω latere supra intelleximus.

Iam duobus exemplis allatis, quibus ε etiam eis vocibus, quas antiquitus a litera s incepisse constat, anteponi posse satis certe efficitur, non dubito, quin eadem via ε in ἕεις explicanda sit, quod pro εσεις dici etymologia huius vocis ostendimus.

Illo ἑ, quod habemus in ἕκαστος, stirpem ἑν i. e. sam contineri constat. κάστος in ἕκαστος ad pronomen interrogativum skr. kas, gr. πο in πον pertinet; atque pronomen interrogativum saepissime adhiberi, ad sensum pronominis indefiniti exprimendum non est, qui neget. Itaque cum ἑ eandem stirpem offerat, quae latet sub voce εἷς, ἕκαστος idem valet, quod „unus quotuscunque" i. e. quisque. Hanc esse veram originem huius vocis etiam Curt. p. 410 ostendit. Quamobrem assentiri non possum Benfeyio, qui, cum in lingua sanskritica pronomen relativum cum pronomine interrogativo coniunctum sensui, qui inest voci ἕκαστος, describendo inserviat, — yasmin kasminçca ǵâyate i. e. in quoque nascitur — e sanskritico yaskas, yaka ἕκαστος ita originem duxisse sagacissime demonstrare conatur, ut ἕκαστος ex ἑκάτατος i. e. jεκάτατος ortum sit. cf. Kuhn. Ztschrft. VIII p. 321 ff. Mihi enim ille vir doctus persuadere non potest, stirpem pronominis relativi „ya in yas" quae in Graecorum lingua in ὅ-ς transiit, in voce ἕκαστος syllabae ἑ substitui potuisse. Etiam non moveor eis verbis, quae L. Meyer (K. Ztschr. VIII p. 171) protulit: *Es steht unzweifelhaft fest, dass die ursprünglichen Formen für ἕκαστος, ἑκάτερος, ἑκάτερθε im Griechischen ϝέκαστος etc. lauteten, die ihnen zu Grunde liegende Form also ϝεκα, für deren etymologische Erklärung ich indess irgend etwas Gutes weder anderwärts gefunden zu haben, noch selbst im Augenblick anzugeben vermöchte.* Ad hanc sententiam ille vir doctus adductus est, cum in carminibus Homericis tantum spirantem labialem valuisse putet.

Hoffmannus (II p. 21) cum stirpem vocis ἕκαστος eandem esse suspicetur, quae latet sub ἑκάς—ἑκάς autem latino „secus" comparat — digamma in hac voce non valuisse firmat. Hanc autem derivationem nullo argumento firmari quisque intelliget, praesertim cum ἑκάς digammo instructum fuisse constet. cf. p. 88. Itaque cum ἑ in ἕκάστος, non aliter atque ε in ἑκατόν, ad eandem stirpem

quae inest voci εἷς, pertinere statuerimus, hiatus illicitus, qui voce ἕκαστος efficitur, optime litera initiali s, e qua spiritum asperum ortum esse demonstravimus, explicatur. Accedit, ut etiam aliae voces, quae a stirpe sanskritica „sam“ in „samas“ derivantur (ἅμα, εἷς, ἑκατόν), vestigia apud Homerum reliquerint, quae si persequimur, literae initiali s favent.

Cum ea stirpe, quae latet sub adiectivo sanskritico „samas“, cohaerere videtur praefixum „sa“ (cf. sagarbhjas i. e. couterinus), quod in lingua Graeca servatum est in illo ἀ, quod dicunt copulativum. Itaque non dubito, quin productiones brevium syllabarum ante illud ἀ, litera s, e qua spiritum ortum esse constat, excusentur. Sic ante ἄλοχος productionem invenimus

Z 366. οἰκῆας ἄλοχον.

Longae vocales in arsi ante ἄλοχος producuntur I 556. Λ 162. P 28. De ἄλοχος cf. Curt. 351.

Ad eandem originem, cuius est α in ἄλοχος, referendum est α in ἀτάλαντος. Ut enim ἄπεδος idem valet, quod ἰσόπεδος cf. Curt. p. 351, eodem modo ἀτάλαντος idem significat, quod ἶσον τάλαντον ἔχων i. e. ἶσος. De voce τάλαντον cf. Curt. 199. Est igitur ἀτάλαντος compositum, quod grammatici Indici dicunt, „bahuvrîhi.“ Illud adiectivum apud Homerum in antiquiore formula s initiale servasse videtur:

cf. B 169.	Διὶ	μῆτῖν	ἀτάλαντον
407.	„	„	„
K 137.	„	„	„
B 636.	„	„	ἀτάλαντος
H 47.	„	„	ἀτάλαντε
Λ 200.	„	„	„

Hoffmannus p. 100 e locorum numero ιν terminationem ancipitem fuisse colligit. Cum autem constet, ἀ in ἀτάλαντος eiusdem originis esse, cuius est sanskriticum „sa,“ his locis eadem explicatione utor, quam in voce ἄλοχος amplexus sum.

Tantum uno loco *Ψ* 313 (*μῆτῖν ἐμβάλλεο θυμῷ*) productionem syllabae *ιν* in *μῆτιν* litera spiranti, quae est „s" excusari non posse intellegimus. Itaque nobis statuendum est, hoc loco valere falsam imitationem, quae poetas, cum de origine syllabae *ᾰ* non amplius haberent rectum iudicium, non impedivit, quin etiam ibi syllabam *ιν* productam praeberent, ubi e firmiore natura vocis subsequentis iusta excusatio repeti non poterat.

Longa vocalis *ῳ* productam se praestat ante *ἀτάλαντος* in formula, quae est:

θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηι. cf. *N* 295. 328. 528. *Π* 784. *P* 72. 536. Idem est *M* 463 ubi *ῃ* ante *ἀτάλαντος* producitur cf. *νυκτὶ θοῇ ἀτάλαντος*.

Denique hoc loco de verbo *ἕπω* agamus necesse est. Productionem effecisse videtur hoc verbum *Λ* 776.

σφῶι μὲν ἀμφὶ βοὸς ἕπετον κρέα;

longa vocalis *ῳ* in arsi ante *ἕπω* productam se praebet *Γ* 174. *N* 644.

Literam s initialem in hoc verbo antiquitus valuisse adhuc perlucide apparet ex imperfecto *εἱπόμην*, quod ex *ἐσεπόμην* ortum esse radice sanskritica „sac" = sequor (cf. Curt. 404) demonstratur. S initiale adhuc servatum est in Aoristi formis *ἕ-σπ-ον*, *ἑ-σπ-όμην* quae e *σέ-σεπ-ον*, *σε-σεπ-όμην* originem duxerunt. Etiam verbo *ἀμφι-έπω*, in quo i elisionem non patitur, spirantem literam, quae est s, amissam esse efficitur. Itaque non dubito, quin ista productio litera initiali s, a qua *ἕπω* incepisse constat, recte explicetur, praesertim cum illud s adhuc in Aoristi forma servatum inveniamus.

Sic ex exemplorum numero, quae Hoffmannus I p. 102 attulit, ut ostendat, productionem brevis syllabae, quae extat ante caesuram semiquinariam, hac ipsa versus sede excusari, octodecim e litera spiranti s iustam nanciscuntur explicationem. cf. *Α* 226. 342. *B* 165. 181. 449. *Λ* 674. 40. 776. *N* 368. *P* 135. 196. *Σ* 347. 580. *Y* 239. *Φ* 118. *Ψ* 779.

Ω 47. 84; septies litera initialis j, qua pronomen relativum instructum fuisse infra demonstrabimus, productionibus auxilium affert; cf. Α 527. Π 192. 709. Ξ 349. Ρ 109. Χ 481. Ω 758; atque sedecim inveniuntur loci, ubi digamma valuisse constat cf. ϝάρνην Β 507, ϝάρνας Γ 310. ϝίτωνα Β 696. ϝελένη Γ 329. Η 355. Θ 82. Α 369. 505. ϝανδρόκμητος Α 371. ϝεκάβη Π 718. ϝόψ Σ 222. ϝινδάλλεται Ψ 460. ϝηρακλῆς Υ 145. ϝαιρέω Σ 260. ϝέξ Ω 604. ϝέταρος Τ 345.

De digammate, quo voces Ἄρνη et ἄρνας fuerunt instructae, omnes consentiunt, cum et glossae Hesychianae βάρνες, βάρνιον, βάριχοι (ἄρνες) et nomen ϝάρνων (C. I. No. 1569), quod in titulo Boeotico legitur (cf. Ahrens. Dor. p. 45. Aeol. p. 171), hanc literam spirantem servaverint, quae linguis cognatis satis certe firmatur. cf. Curt. p. 309. Peters l. c. p. 11. Leskien l. c. p. 13. Ἴτων, nomen urbis Thessaliae, Bekkerus iuste ac merito digammo instruxit B 696.

Δήμητρος τέμενος ϝίτωνα τε μητέρα μήλων.

Mihi enim constat, hanc vocem ad eandem radicem pertinere, quae latet sub vocabulis ϝίτυς, ϝιτέη (cf. p. 64). Etiam Leskien p. 12 hoc nomen cum ϝίτυς coniungit. Neque minus recte Bekkerus tradidit ϝεκάβη, cum hoc nomine eadem stirps contineatur, quae est in ϝεκηβόλος, ϝέκατος, ϝεκάϝεργος cf. Kuhn Ztschr. XIII p. 422. Bekker: Hom. Bl. p. 292. Digamma autem glossa Hesychii βεκάς — μακράν firmatur cf. Pohl. l. c. p. 18. Peters p. 16. Etiam ὄψ a litera Aeolica inchoavisse constat, cum ad eandem stirpem pertineat, quae est in ϝέπος skr. vacas cf. Curt. 403. Peters l. c. p. 12. Itaque Bekkerus hanc vocem iuste ac merito digammo instruxit. Loci, ubi ϝόψ in Iliade legitur, hi sunt: Α 604. Β 182. Γ 152. 221. Δ 435. Η 53. Κ 512. Ξ 150. Π 76. Σ 222. Υ 380. Χ 451; tantum uno loco Φ 98. ὄψ digamma aspernatur. Spirantem labialem etiam in verbo ἰνδάλλομαι, quod in Iliade duobus locis inveni, Ρ 313. Ψ 460 valuisse ea re

efficitur, quod eandem stirpem amplectitur, quam habemus in εἶδον (rad. vid.) cf. Curt. p. 217. Leskien p. 14. Itaque Bekkerus formam ϝινδάλλομαι in textum recepit. Quod attinet ad voces Ἑλένη, ἀνδρόκμητος, αἱρέω, ἕξ et Ἡρακλῆς satis est, lectoris animum advertere ad p. 24 p. 48. p. 35. p. 23. p. 59. cf. p. 60.

Iam restat ἕταρος, de qua voce hoc loco accurate agamus necesse est. ἕταρος, ἑτάρη, ἑταρίσσαιτο, ἑταίρισσαι, quas formas in Iliade locis centum nonaginta octo legi, a litera spiranti inchoavisse et linguarum comparatione et argumentis ex ipsis carminibus Homericis repetitis efficitur. Carmina Homerica si inspicimus, id nobis maximae est offensioni, quod coniunctionem καὶ arsis locum obtinentem ante ἑτάροις productam invenimus in formula, quae est:

λ 113. νηΐ τε καὶ ἑτάροις· αὐτὸς δ' εἴπερ κεν ἀλύξῃς
μ 140. νηΐ τε καὶ ἑτάροις· αὐτὸς δ' εἴπερ κεν ἀλύξῃς
cf. λ 161. νηΐ τε καὶ ἑτάροισι, πολὺν χρόνον; οὐδέ πω ἦλθες.

Hoffmannus I p. 74 ut metricam difficultatem removeat, λ 113 et μ 140 legere vult: νηΐ θ' ἑταίροίσιν τ' αὐτός. Sed hac lectione non opus est, cum his versibus antiquiorem formulam contineri mihi persuasum sit, eo tempore ortam, ubi litera spirans in initio huius vocis totam vim suam servaverat. Idem esse statuo eis locis, ubi brevis syllaba, in literam consonam desinens, ante ἕταρος producitur:

a) in caesura semiternaria:

Π 269. Μυρμιδόνες, ἕταροι
Ψ 137. ἀχνύμενος· ἕταρον.

b) in caesura semiquinaria:

Τ 345. ἧσται ὀδυρόμενος ἕταρον φίλον

i dativi ante ἑταιρίσσαι legitur, ita ut oriatur hiatus Ω 335.

ἀνδρὶ ἑταιρίσσαι, καί τ' ἔκλυες ᾧ κ' εθίλῃσθα.

Longae vocales et diphthongi in arsi undecim locis producuntur ante ἕταρος cf. Κ 235. 242 (ubi particulam δὴ ante ἕταρος productam legis); Ε 534. Ο 519 (ubi ω gene-

tivi ante ἕταρος producitur, quod Hoffmanno teste (I p. 61) raro fit). Δ 441. Ε 325. Λ 91. Π 581. Ψ 748. Ω 4. 416. νὲφελκυστικόν si delemus, loci, qui sunt Ε 26. Κ 522. Λ 793. Ν 419. 653. Ο 404. Π 170. 491. Ρ 189. 273. 423. 698. Σ 317. Ψ 18. 178. 563. 612. Ω 591 literam spirantem amplectuntur. Triginta locis longa syllaba, quae desinit in literam consonam, voci ἕταρος antecedit, ita ut hi loci literae spiranti initiali non impedimento sint. Itaque sexaginta tres extant loci, ubi ἕταρος literam spirantem et poscit et admittit. Cum autem hi loci tertiam fere partem efficiant eorum, ubi ἕταρος in Iliade legitur, nobis statuendum est, in eis versibus, ubi ἕταρος metricam difficultatem effecit, literam spirantem antiquioris poeseos usum imitatam valuisse, quam reliquis locis neglectam iacere ostendimus.

Si de origine vocis ἕταρος quaestionem instituimus, Peters l. c. p. 9, Christium (l. c. p. 251) secutus, ἕταρος sanskriticae voci „vatsalas“ (amans, amicus) comparat, sed huic etymologicae derivationi illud repugnat, quod non invenimus aliud exemplum in Graeca lingua, quo Graecum τ e sanskritico „ts“ ortum esse certis argumentis firmatur. Pottius (Et. Forschg. II, 742) ἕταρος ad eandem stirpem pertinere suspicatur, quae latet sub voce ἕτερος; confugit enim ad ill. „drug“ (Gesellschafter) et „drugi“ (der Andere), ut intimum conexum voci ἕταρος cum ἕτερος intercedere demonstret; quae argumentatio nimis incerta mihi esse videtur. Itaque aliam viam ingredior, ut voci ἕταρος rectam explicationem afferam. Mihi enim constat, ἔτης et ἕταρος ad eandem radicem pertinere cf. Leo Meyer: Vgl. Gr. II, 1 p. 207. cf. Curt. p. 616. ἔτης autem a digammo inchoavisse et forma ϝέτας, quae adhuc in titulo Eliaco (cf. Savelsberg l. c. I p. 6) servata est, et etymologia demonstratur: ἔτ-ης enim ad stirpem pronominalem „sva“ gr. ϝε pertinere Froehde (K. Ztschr. XII p. 160) ostendit. Accedit, ut apud Homerum nihil obstet, quin vo-

cem ἔτης digammo instruamus cf. Hoffm. II p. 38. Itaque cum ἕταρος eandem stirpem, quam praebet ἔτης, amplectatur, literam spirantem, quam in ἕταρος valuisse supra ostendimus, digamma fuisse dicamus necesse est.

Iam restat, ut priusquam ea exempla, in quibus productio, quae extat in caesura semiquinaria, literis spirantibus ϝ s, j explicari non potest, enumeremus, de caesura semiternaria brevi agamus. E numero exemplorum, quae sunt undetriginta (cf. Hoffm. I p. 102), quatuor eas voces nobis offerunt, quas litera s antiquitus instructas productioni, quae antecedit, iustum ferre auxilium supra ostendimus cf. *B* 745. 822. *Z* 366. *H* 416. Sexies spirans j, quae inest pronomini relativo, eisque formis, quae ab eodem pronomine derivandae sunt, brevis syllabae in literam consonam desinentis productionem excusat, id quod infra ostendemus; loci sunt hi: *Α* 244. *K* 7. *Σ* 591. *Υ* 45. *X* 22. *Ω* 736. Ad digamma confugimus *Ψ* 137 (ubi legimus ἀχνύμενος ϝέταρον) eandemque spirantem etiam *Φ* 8.

ἐς ποταμὸν εἰλεῦντο

valuisse brevi disputatione ostendam. εἰλέω, εἴλω eandem stirpem, quae est ϝελ, skr. „var,“ nobis offerre satis constat cf. Curt. p. 483.

Accedit, ut in tabula Heracleensi priore inveniatur forma ἐγϝηληθίωντι i. e. ἐξειληθῶσι (cf. Savelsberg l. c. I p. 7), qua literam Aeolicam in verbo nostro valuisse satis certe efficitur. Itaque Bekkerus in altera recensione carminum Homericorum formas ab εἰλέω, εἴλω derivatas digammo instruxit: ϝειλέωσιν *B* 294. προτιϝειλεῖν *K* 347. ἐϝείλεον *Σ* 447. ϝειλεῦντο *Φ* 8. ϝειλόμενος *E* 203. 782. *Θ* 215. ϝέλσαι *Α* 409. *Φ* 225. ἐϝέλσαι *Φ* 295, (ubi ε prostheticum existimandum est. cf. Leskien p. 31). ϝέλσαν *Α* 413. ϝεϝελμένοι (quae forma loco ἐϝελμένοι Bekkero restituenda erat) *M* 38. *N* 524. *Σ* 287. ϝεϝέλμεθα *Ω* 662. ἐϝάλη *N* 408. *Υ* 168. 278. ϝάλεν = ϝάλησαν *X* 12. ϝαλῆναι *Π* 714. ϝαλήμεναι *P* 76. *Σ* 286. *E* 823. ϝαλείς *Π* 403. *Φ* 571. *X* 308. ϝαλέντες

Φ 534. 607. *X* 47. ϝαλέν *Ψ* 420. Uno tantum loco particula τε ante ἔλσαι elisionem patitur cf. *Σ* 294. Quae res cum ita se habeat, non intellego, cur Hoffmannus, cum II p. 37. εἴλω digammo instructum fuisse doceat, εἰλέω literae Aeolicae particeps non reddiderit.

Postremo *Δ* 27, ubi legimus:

ἱδρῶ θ' ὃν ἵδρωσα μόγῳ; καμέτην δέ μοι ἵπποι

ex exemplorum numero excipiendum esse mihi videtur. ἵδρως et ἱδρόω antiquitus a litera Aeolica inchoavisse satis certe etymologia demonstratur; ἱδρώς enim ad radicem „svid" pertinet, quae adhuc latet sub verbo sanskritico „svidjâmi" cf. Curt. 218. Nihilo minus ἱδρόω tantum hoc loco vim et auctoritatem digammi servavit; nam ei loci, qui sunt *B* 338. 390. *E* 796. *K* 574. *Λ* 598. *Φ* 561. *X* 2 hanc vocem ita exhibent, ut longa syllaba in consonantem desinens antecedat; quamobrem literam Aeolicam quidem admittunt, sed nihil valent, ad spirantem labialem huic voci vindicandam. ν εφελκυστικόν si delemus, *Λ* 811 et *Ψ* 507 substantivum ἱδρώς digamma amplectitur. Digamma autem iam antiquissimis temporibus a vocibus ἱδρόω et ἱδρώς alienum se praestitisse, ea re efficitur, quod, cum decies in Iliade locum obtineat, tredecim locis illis vocibus affigi non potest cf. *Θ* 543. *K* 572. *Λ* 119. 621. *N* 705. 711. *O* 241. *Π* 109. *P* 385. 745. *Σ* 372. *Φ* 51. *Ψ* 658). Sed ut opinor, *Δ* 27 antiquioris poeseos usum imitatum digamma servavit.

Sic postquam ex exemplorum numero, quibus Hoffmannus productionem brevis syllabae, quae fit in caesuris semiquinaria et semiternaria, ipsa versus sede excusari demonstrare vult, eas voces excepimus, quas aut literis ϝ aut s aut j instructas fuisse constat, ex octoginta tribus locis tantum quadraginta duo restant, (*A* 153. 535. *B* 24. 71. 228. 539. 585. 789. *Γ* 35. 248. *Δ* 76. *E* 385. 485. *Z* 76. 299. *H* 31. 167. *Θ* 265. *Λ* 219. 376. 427. 547. 582. 630. *M* 52. 270. *N* 309. *Ξ* 423. 473. *Π* 560. 716. 736. *P* 42.

104. *Σ* 224. *Υ* 368. *Φ* 363. *Χ* 352. 513. *Ψ* 89. 731. *Ω* 269.) quibus Hoffmanni sententia firmari videtur, caesuram semiquinariam per se productioni brevium syllabarum auxilium afferre; atque si rationem habemus caesurae semiternariae, ex undetriginta exemplis tredecim excipienda esse antea ostendimus, ita ut sint reliqua sedecim, (*Β* 39. 233. *Ε* 622. *Ζ* 176. 501. *Η* 77. 84. 232. *Κ* 281. *Λ* 39. *Ν* 511. 558. *Σ* 168. *Υ* 243. *Ψ* 110. 603.) ubi e literis spirantibus nulla excusatio repeti potest. Accedit ut Hoffmannus totum numerum earum vocum, quas ipse in altero volumine quaestionum Homericarum digammo instructas esse statuit, in enumeratione locorum neglexerit. Si eos quinquaginta quinque locos, ubi Hoffmannus digamma valere statuit (cf. II p. 54), illis octoginta tribus addimus, eos locos, ubi literae spirantes productionem non excusant, paullo minus tertiam partem omnium exemplorum, quae productionem brevis syllabae in literam consonam desinentis in caesura semiquinaria nobis offerunt, amplecti intellegimus, cum in caesura semiternaria, illis quadraginta octo locis, ubi Hoffmanno duce cf. *II* p. 54 litera Aeolica valet, eis exemplis, quae modo enumeravimus, adiunctis, quinta fere pars locorum restet, ubi a literis spirantibus productioni iustum auxilium afferri non potest; atque si rationem habemus ordinis metrici secundi, ad quem pertinent productiones caesurae semiseptenariae et seminovenariae, — sunt enim unum et quadraginta exempla, quae Hoffmannus I p. 103 attulit, ad quae accedunt loci quadraginta quatuor, ubi idem Vir doctus spirantem labialem productionibus iustam afferre excusationem docet — paulo plus quinta pars omnium exemplorum literarum spirantium auxilium aspernatur. Etiamsi non negare volumus, productionem brevis syllabae in literam consonam desinentis, quae extat ante caesuram semiquinariam, hac ipsa versus sede adiuvari, tamen huic versus loco non tantam vim et auctoritatem tribuere possumus, quantam

Hoffmannus ei inesse firmet, cum hanc productionem nihil valere dicat, ad literam spirantem vocibus vindicandam; mihi autem constat, ubicunque litera spiranti initiali vocis sequentis productionem explicare possumus, hanc solam esse viam ineundam, ad metricam difficultatem removendam. De reliquis autem locis, ubi hac explicatione uti non possumus, nobis idem iudicandum est, quod de productionibus in caesuris seminovenariae et semiseptenariae statuimus, poetas, cum Graeca lingua iam memoriam literarum spirantium, quas ex antiquiore epica poësi ad se recepit, amisisset, ita, ut vera causa productionis cognosci non posset, falsa analogia adiuvante etiam ibi syllabam brevem in consonam literam desinentem produxisse, ub e literis spirantibus iusta excusatio repeti non poterat.

Eis vocibus, quae in Iliade certa vestigia literae s initialis reliquerunt, adnumerarem adiectivum ἐτεός, si exemplum in carminibus Homericis inveniretur, quo productionem brevis syllabae in literam consonam desinentis aut hiatum illicitum hoc adiectivo ortum esse ostenderetur. Quinque enim locis locis legimus in fine versus hance formulam:

εἰ ἐτεόν γε

Ε 104. *Θ* 423. *Μ* 217. *Ν* 153. *Ξ* 125.

Hoffmannus cum I p. 64 haec sola exempla productae particulae ει in quinta arsi esse doceat, dicit: „eget tamen digamma vox ἐτεός“ Literam autem initialem non fuisse digamma, sed s, etymologia demonstratur; ἐτεός enim est sanskriticum satyas cf. Curt. p. 188. Sed cum illa exempla, quae modo attuli, tantum productionem diphthongi ει, quae fit in arsi, ante ἐτεός ostendant, ex his solis nihil de litera spiranti,] qua ἐτεός apud Homerum instructum fuit, concludere ausim.

Iam quaestione de litera s initiali ante vocales ad finem perducta, animum advortamus ad ea exempla, quae in hiatu posita hanc metricam difficultatem litera spiranti, quae

est j, removere possunt. Iam supra spiritum asperum in ἕτερος munus literae spirantis j suscepisse demonstravimus, neque minus certe constat, spirantem palatalem in voce *εἰνάτερες*, quam Bekkerus falso litera Aeolica instruxit, valuisse; *εἰνάτερες* enim Latino „janitrices" accurate respondet cf. Curt. p. 276. Peters l. c. p. 19. Itaque metrica ista difficultas, quae *X* 473 productione vocis *καὶ* oritur, spirante palatali removetur, idemque est *Z* 378. 383. *Ω* 769, ubi particula *ἤ* in tertia thesi ante *εἰνατέρων* productionem servat in illa formula, quae est:

Z 378. *ἠέ πῃ ἐς γαλόων ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων*
Z 383. *οὔτε πῃ ἐς γαλόων ἤ* „ „ (Bekker[2])
Ω 769. *δαέρων ἢ γαλόων ἤ* „ „

Ad literam j confugimus *Δ* 75 et *Ξ* 182, ubi Hoffmanno duce (p. 92. 93) extat hiatus illicitus. Ibi enim legimus:

οἷον δ' ἀστέρα ἧκε
ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν.

Loco priore Bekkerus[2] *ἀστέρ' ἕηκε* scribit, qua lectione non opus est.

Iam Hoffmannus II p. 25 verbum *ἵεμαι* apud Homerum litera spiranti praeditum fuisse ostendit; digamma autem in hac voce valuisse, linguis cognatis non firmatur, itaque aliam fuisse constat spirantem literam, quae in hoc verbo vim suam nondum amiserat. Spirantem j in hac voce partes literae initialis suscepisse Curtius demonstravit cf. p. 359. Ille vir doctus, cum *ἵημι* e stirpe „jâ" reduplicatione, de qua conferas Christium (Gr. Ltlehre. p. 153), adhibita, ortum esse doceat, ita ut *ἵημι* vices formae *jιj-âmi* gerat, huic verbo significationem causativam tribuit, ita ut *ἵημι* sensu primitivo idem valeat, quod: *ich mache gehen, ich entsende.* Qua de causa medium huius verbi sic vertamus necesse est: „*sich wohin in Bewegung setzen.*" Quomodo autem ex hac notione ad motum corporis spe-

ctante sensus cupiendi, qui animi motum describit, orta sit, demonstravit Fulda: l. c. p. 76. Quamobrem probare non possum Hoffmanni sententiam, qui activum ἵημι a medio ἵεμαι segregandum esse statuit. Itaque cum litera j in verbo ἵημι-ἵεμαι valuisse etymologia demonstretur, hac litera spiranti metricae difficultates, quae verbo ἵεμαι formisque ab eodem derivatis oriuntur, facile tolluntur. Viginti enim duobus locis in carminibus Homericis, Curtium si sequimur p. 533, ante medias formas verbi ἵημι hiatum invenimus. Sed litera j, qua spiritum asperum ortum esse constat, iste hiatus optime excusatur. Quamobrem Bekkerus non merito has formas digammo instructas in textum recepit; tradit enim ϝίετο *B* 589. *E* 434. *Θ* 301. 310. *Λ* 537. *M* 68. *N* 386. 424. 585. *Π* 359. 383. 866. *Y* 502. ϝίεντ' *N* 501. *Π* 761. ϝιέσθην *Ψ* 718. ϝιέμενος, ϝιεμένων etc. *Λ* 168. *N* 291. 707. *O* 450. 543. *Π* 381. 396. 507. *P* 276. 292. *Σ* 547. *Y* 280. 399. 469. *Φ* 70. *Ψ* 371. 767. *B* 154. *Θ* 313. Has formas autem e jιjέμενος etc. ortas esse modo ostendimus.

Activum ἵημι si respicimus, hoc verbi genus apud Homerum literam j non tanta vi, quanta mediae huius verbi formae, servavit; nihilo minus certa extant vestigia, quae si persequimur, nobis demonstrant, literam initialem amissam esse, quae j fuerit, linguarum comparatione constat. Augmentum enim syllabicum, quod adhuc invenimus in epici Aoristi forma ἕηκα (cf. ξυνέηκε *B* 182, προέηκε *E* 290, ἀνέηκε *E* 882, ἕηκεν *Λ* 48 etc.), literam spirantem in initio verbi ἵημι valuisse satis certe testatur, quam j fuisse patet. Itaque non dubito, quin iste hiatus illicitus, qui invenitur duobus illis locis, quos supra attuli, litera j, qua Aoristum ἧκα, ἕηκα antiquitus instructum fuisse constat, iuste excusetur. Qua de causa non opus est, *Δ* 75 cum Bekkero[2] legere: ἀστέρ' ἕηκεν. Si autem illi viro doctissimo persuasum erat, literam Aeolicam in voce nostra valuisse, non intellego, cur ille, cum tantum

uno loco in Iliade formam ἧκε digammo instructam praebuerit, cf. Ψ 400.

ἵπποις ϝῆκε μένος καὶ ἐπ' αὐτῷ κῦδος ἔθηκεν

eis locis, ubi hiatum illicitum invenimus atque in eis formis, ubi augmentum syllabicum digamma commendare videtur, literam spirantem neglexerit.

Literam j etiam in pronomine relativo formisque ab eodem derivatis valuisse et linguarum cognatarum comparatione et argumentis e carminibus Homericis repetitis satis certe efficitur.

Invenimus enim hiatum in caesura trochaica pedis tertii (cf. Hoffm. I p. 88)

ante ὅσος *B* 523. τόσσογε ὅσος
ante ὅθι *E* 857. κενεῶνα, ὅθι.

Idem est in fine pedis quarti, ubi in hiatu extant: (cf. Hoffm. I p. 90.)

ὡς *B* 3. κατὰ φρένα, ὡς
ἧχι *Λ* 76. καθείατο, ἧχι.
ὄφρα *E* 221. ἐπιβήσεο, ὄφρα
Θ 105. ἐπιβήσεο, ὄφρα
O 232. μένος μέγα, ὄφρα.

Eandem metricam difficultatem hiatu ortam invenimus in fine pedis primi. cf. H. I p. 91.

N 300. ἕσπετο, ὅς τ'
O 227. ἔπλετο, ὅττι
Ψ 71. θάπτε με ὅττι.

Tum saepissime ante eas formas, quae a stirpe pronominis relativi derivandae sunt, productiones brevium syllabarum in literam consonam exeuntium inveniuntur.

a) ante caesuram semiternariam

ὅτε *K* 7. ἠ νιφετόν, ὅτε
Y 45. δειδιότᾱς, ὅθ'
ὅτι *Λ* 244. χωόμενōς, ὅτ'

quae formula etiam invenitur ϑ 238. λ 103. ν 343.

ὡς *X* 22. σευάμενος ἅς θ' ἵππος
ᾧ *Ω* 736. χωόμενος, ᾧ δή που
οἷος *Σ* 591. τῷ ϝίκελον οἷόν ποτ'
ὅσος *H* 389. κτήματα μὲν ὅσ' Ἀλέξανδρος

b) ante caesuram semiquinariam

ὅτι *A* 527. οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅτι
ὡς *Π* 192. ἀμφαγαπάζομενος ὡς εἰ
P 109. ἐντροπαλίζομενος ὡς τε λίς
X 481. δύςμορος αἰνόμορον ὡς μή,
ὅς *Ξ* 349. πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὅς
Π 709. οὐδ' ὑπ' Ἀχιλλῆος, ὅςπερ
Ψ 758. κεῖσαι, τῷ ϝίκελος ἔντ'

c) ante caesuram semiseptenariam

K 450. οὔ πω πᾶν ϝεἴρητο ϝέπος, ὅτ' ἄρ ἤλυθον.

d) ante caesuram seminovenariam

A 85. θαρσήσας μάλα ϝειπὲ θεοπρόπιον ὅτι ϝοῖσθα

Praeterea nobis non neglegendi sunt ei loci, ubi longae syllabae in vocalem aut diphthongum desinentes, si thesis locum obtinent, ante pronomen relativum producuntur.

cf. *Ω* 61. Πηλεῖ, ὅς περὶ κῆρι φίλος γένετ' ἀθανάτοισιν (qui locus nobis solum exemplum diphthongi ει in thesi productae offert) cf. Hoffm. I, 57.

O 23. ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται

B 209. ἠχῇ, ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης

Φ 459. πειρᾷ ὥς κε Τρῶες ὑπερφίαλοι ἀπόλωνται.

E quinque illis exemplis, quae brevem vocalem ante vocalem initialem vocis subsequentis productam exhibent, tria voces a stirpe pronominis relativi derivatas praebent, cf.:

B 781. Διΐ ὡς
Ω 285. δέπαϊ ὄφρα
Θ 556. ἀριπρεπέα ὅτε.

Hoffmannus I p. 164 cf. II p. 186 has productiones in numerum duriorum redigit. Cum autem constet, in his vocibus literam initialem j valuisse, productio vocalis i nobis non offensioni esse potest, cum ι dativi saepissime productam inveniamus cf. Hoffm. I p. 162. Quid de *Θ* 556 iudicandum sit videas p. 117. De *E* 576 et *Υ* 259 cf. p. 120. p. 35.

Summum autem argumentum, quo stirpem pronominis relativi apud Homerum litera spiranti praeditam fuisse efficitur, eo continetur, quod ante ὥς, si in anastropha positum invenitur, productiones extant, quas ipse Hoffmannus I p. 104 vi caesurae non excusandas esse firmat. In Iliade enim, ubi locis quadraginta octo legitur, ὥς bis et tricies productionem aut longarum vocalium aut brevium syllabarum in literam consonam exeuntium efficit cf. *Διῒ* ὥς *B* 781. θεῷ ὥς *X* 394. λύκοῖ ὥς *Δ* 471. *Λ* 72. *Π* 156. μελίῇ ὥς *N* 178. νηπίτιοῖ ὥς *N* 292. *Υ* 244. αἰγειρο̄ς ὥς *Δ* 482. αἰγυπιὸς ὥς *N* 531. βόε̄ς ὥς *Λ* 172. θεὸν ὥς *I* 155. 297. 302. *M* 176. *X* 434. θεὸς ὥς *Γ* 230. *Λ* 58. κακὸν ὥς *B* 190. *O* 196. κακὸς ὥς *Z* 443. κύνε̄ς ὥς *E* 476. νηπύτιο̄ν ὥς *Υ* 200. 431. ὄρνιθε̄ς ὥς *Γ* 2. ὄρνιθα̃ς ὥς *B* 764. πέλεκῑς ὥς *Γ* 60. τηλύγετο̄ν ὥς *N* 470. φυτὸν ὥς *Σ* 57. 438. μόλιβο̄ς ὥς *Λ* 237. ἠέλιο̄ς ὥς *Ξ* 185.

Quinquies longa syllaba in consonantem desinens voci ὥς antecedit; cf. *T* 381. *Σ* 616. *Υ* 164. *Ω* 572. 770. Undecim tantum locis illud ὥς literam spirantem aspernatur; sunt hi: *Γ* 196. *Z* 295. *Θ* 94. 271. 306. *Λ* 147. *M* 156. 293. *N* 137. 218. *Ω* 41.

Ideo illos locos, ubi ὥς in Iliade invenitur, hîc mihi enumerandos esse putavi, quod apud Bekkerum Hom. Bl. p. 204 non omnes excitatos inveni.

In arsi saepissime longae vocales et diphthongi producuntur ante pronomen relativum formasque ab eodem derivatas. Non opus est, locos enumerare, cum paene in quavis pagina ultro se offerant. Etymologiam pronominis

relativi si respicimus, Savelsberg (Kuhn Ztschr. VIII p. 401—415) e forma ϝότι, quae digammo instructa extat in inscriptione Locrica a Rossio a. 1854 edita, pronomen relativum litera Aeolica praeditum fuisse demonstrare vult. Cum enim e stirpe pronominis interrogativi, quae est in lingua sanskritica „ka,“ latinum „quo“ in „quod, quoius“ ortum esse ostendat, etiam eiusmodi formam linguae Graecae tribuere conatur. Ut enim ad ϝος perveniat, formam primitivam κϝος statuit, e qua litera κ amissa ϝος ortum esse suspicatur. Sed huic derivationi illud repugnare mihi videtur, quod in Graeca lingua non inveni exemplum, quo fortem literam κ ante illam imbecillam spirantem Aeolicam vim suam prorsus amisisse demonstratur. Multo veri similius erat, literam gutturalem vitam servasse, cum litera labialis amitteretur. Accedit autem aliud argumentum; constat enim in illa Locrica inscriptione multos existere scripturae errores, fortasse incuria sculptoris ortos, ita ut formae ϝότι non magnam fidem habere possimus cf. Curt. p. 354. Si inspicimus formas Ͱοσσωι et Ͱοσσακις, quas Savelsberg l. c. p. 414 e tabulis Heracleensibus attulit, hîc Ͱ tantum spiritui aspero describendo inservit, cum digammi signum in his tabulis hanc praebeat speciem: Ϝ (cf. Pohl. l. c. p. 10 Anm. 42.) Itaque cum ϝ in pronomine relativo non valuisse mihi persuasum sit, sententiam eorum virorum doctorum amplector, qui pronomen relativum ad eandem stirpem referunt, quae est in sanskritico „yas“ cf. Curt. p. 354. Pott. Et. Forschg. II p. 366. L. Meyer Vgl. Gr. I p. 333. Cum autem spiritus asper e j prodierit, non dubito, quin metricae difficultates pronomine relativo ortae litera spiranti, quae est palatalis, sanentur. A stirpe pronominis relativi derivandum esse Graecum ἵνα iam viderunt Benfey: Gloss. z. Skrit. Chrestom. p. 248 et Curtius (K. Z. VI p. 93). Vocabulo ἵνα contineri instrumentalis formam ea re efficitur, quod sanskritico „yêna,“ accurate respondet. ἵνα e yina, i. e. yanâ ortum est. cf. Schleicher

Compend. 579. Itaque probare non possum sententiam, quam Savelsberg l. c. p. 411 de origine huius vocis protulit, cum *ἵνα* e *ϝίνα* originem duxisse demonstrare conetur.

Etiam apud Homerum loci nonnulli inveniuntur, quibus spiritum asperum in hac voce partes spirantis palatalis suscepisse satis certe ostenditur.

Tribus enim locis ante *ἵνα* brevis syllaba in consonam literam desinens producitur cf.

η 180. *πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον̄ ἵνα*
μ 185. *νῆα κατάστησον̄, ἵνα*
γ 157. *νηΐ θοῇ ϝίκελον̄· ἵνα*

Hiatus, qui extat in caesura trochaica pedis tertii, litera j excusatur. cf.

Θ 479. *πόντοιο, ἵν'*
O 402. *'Αχιλῆα, ἵν'*
Ω 264. *ἐπιθεῖτε ἵνα.*

Longae syllabae in vocalem desinentes ante *ἵνα* in arsi producuntur: *A* 203. 363.* *Γ* 130. *Θ* 18. 479. *K* 367. *Ξ* 365. 483. 597. *P* 445. *Σ* 387. *T* 180. *Y* 122. *X* 244. *Ψ* 187. *Ω* 21.

Curtius l. c. etiam eam stirpem, quae latet sub *εἵνεκα, ἕνεκα* ad pronomen relativum pertinere demonstrat, cum *εἱνα*, i. e. yêna pronominali additamento, quod est *κα*, sensum demonstrativum, ut ita dicam, nanciscatur, quam derivationem certo niti fundamento mihi persuasum est. Pottius enim (Et. Forschg. I² p. 427), qui ad radicem sanskriticam „vaç" (*wünschen*) et „vañch," quae forma litera nasali amplificata est, confugit, ad graecum *εἵνεκα* explicandum, viam non satis munitam ingressus esse mihi videtur, cum lege ad mutationem literarum consonarum spectante impediamur, quin verbum sanskriticum vaç Graeco *ἕνεκα* comparemus. Christius (Gr. Ltlehre. p. 226) qui *εἵνεκα* e *ϝένjεκα* ortum esse suspicatur, stirpem huius vocis eandem esse iudicat, quae latet sub Latino vocabulo „venia," ita ut *εἵνεκα* significet „*zu Gunsten Eines.*" Sed

cum forma ϝενια in Graeca lingua certo testimonio non firmetur, atque suffixum κα in ἕνεκα aliud sit, ac κας, ad quod Christius confugit, hanc explicationem improbo. Quamobrem Curtii sententiam de origine vocis ἕνικα amplexus spiritum asperum in voce εἵκενα spirantis palatalis partes suscepisse firmo. Iliadem si inspicimus, ἕνεκα (εἵνεκα), quae praepositio locis quadraginta tribus legitur, ter productionem diphthongi ου, si thesis locum obtinet, efficit in illa formula, quae est *Γ* 87. *Η* 374. 388.

μῦθον Ἀλεξάνδρου τοῦ εἵνεκα νεῖκος ὄρωρεν.

cf. Hoffm. I p. 78. Bekkerus ad metricam difficultatem removendam legit:

Ἀλεξάνδροιο τοῦ εἵνεκα.

In arsi σφώ ante ἕνεκα producitur, quod Hoffmanno duce (p. 61) solum est exemplum vocis σφώ in arsi productae cf. *Α* 574. Diphthongus ου et ευ longitudinem servat ante ἕνεκα *Ζ* 356. *Ω* 23 et *Γ* 206. Initio versus extat ἕνεκα *Γ* 100. *Ζ* 356. *Τ* 325. Longa syllaba in consonam literam desinens huic praepositioni antecedit: *Β* 161. 177. *Γ* 57. *Ε* 640. 651. *Θ* 428. *Ι* 327. 339. *Ξ* 89. *Π* 18. *Ρ* 92. *Υ* 21. 298. *Φ* 380. 463. *Ω* 561. Septemdecim locis εἵνεκα literam spirantem aspernatur: *Α* 110. 138. 377. *Γ* 128. 290. *Ζ* 328. 525. *Ι* 560. *Κ* 27. *Ξ* 309. *Π* 539. *Σ* 171. 498. *Τ* 58. *Χ* 236. *Ψ* 608. *Ω* 106. Quamquam non invenitur locus, quo aut hiatus brevis vocalis ante ἕνεκα extat, aut brevis syllaba in consonantem exiens ante ἕνεκα productam se praestat, tamen productionem thesis, de qua supra egimus, litera spiranti sanari mihi persuasum est, cum ἵνα quod eiusdem originis esse modo ostendimus, certa vestigia reliquerit, quae literae spiranti initiali favent. Postremo a stirpe pronominis relativi non segregandam esse puto syllabam ι, quam invenimus in ἰδέ. Ut enim ἵνα e yana (skr. yena) ortum est, ita etiam stirps prenominis relativi „ya“ in ἵ transire poterat. Iam cum teneamus, coniunctiones linguarum Indo-Germanicarum a pronomine relativo, quod e prono-

nomine demonstrativo originem duxit, (de pron. „yas" cf. Curt. p. 355), derivandas esse — sic goticum „jah" „und" ad sanskriticum „yas" referendum est — cf. Tobler: *Ueber den relativen Gebrauch des Deutschen „und" mit Vergleichung verwandter Spracherscheinungen.* K. Z. VII p. 353 ss. cf. p. 377. 378; coniunctione ἰδὲ stirpem pronominis relativi, quae est „ya," contineri suspicari ausim, cum δε, quod est demonstrativum (cf. ὅδε, ὧδε) adderetur.

Si autem ἰδέ e jιδέ ortum est, non dubito, quin ea productio, quae ante hanc coniunctionem invenitur, atque hiatus, quem ἰδέ effecisse videtur, rectam habeant excusationem.

In caesura seminovenaria ἰδέ productionem brevis syllabae in consonam literam exeuntis efficit:

Σ 589. σταθμούς τε κλισίας τε κατηρεφέᾱς ἰδέ σηκούς.

In caesura trochaica pedis tertii quatuordecim locis hiatum efficit ἰδέ cf. *B* 697. *Δ* 147. 382. *E* 3. 171. *Z* 469. *Θ* 162. *K* 573. *M* 311. *Ξ* 348. *P* 534. *Φ* 351. *X* 469. *Ω* 166; de quibus locis cf. Hoffm. I p. 89, Nacke: ind. praelectt. Bonn. 1834—35 p. 5. 6. ν ἐφελκυστικόν si delemus, loci, qui sunt *Γ* 194. *I* 658. *Λ* 15. *N* 432. *Ξ* 165. *Ω* 643, spirantem palatalem poscunt.

Longae vocales atque diphthongi ante ἰδέ productionem servant, cf. *Ξ* 175, ubi η in quinta arsi ante ἰδέ producitur (cf. Hoffm. I p. 61. 5), et *Γ* 119, ubi αι infinitivi in quarta arsi productum invenimus. Ad literam spirantem coniunctioni ἰδέ vindicandam nihil valent *Γ* 318. *H* 177. (ubi legendum est: λαοὶ δ' ἠρήσαντο θεοῖς ἰδέ χεῖρας ἀνέσχον) atque *T* 285, quibus locis longa syllaba in consonantem exiens voce ἰδέ excipitur. Semel ἰδέ literae spiranti repugnat cf. *Z* 4.

Cum ἰδέ, ut opinor, a stirpe pronominis relativi derivandum sit, assentiri non possum Bekkero, qui ἰδὲ digammo instruxit.

In numerum earum vocum, quae apud Homerum literam spirantem servarunt, redigerem ὑσμίνη et ὑμεῖς, si

aut hiatus illicitus aut productio brevis syllabae in consonam literam desinentis his vocabulis efficeretur; *ὑσμίνη* enim ad eandem radicem pertinet, quae latet sub verbo sanskritico „yudh“ (Curt. p. 355). Apud Homerum saepissime *η* in arsi ante *ὑσμίνῃ* producitur in illa formula, quae est *ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ* cf. *Δ* 462. *E* 712. *H* 18. *Λ* 468 *N* 522. *Π* 451. 648. 788. *Τ* 52. *Φ* 207. *ἐν σταδίῃ ὑσμίνῃ* *N* 314. 713. *ἐν μέσσῃ ὑσμίνῃ* *Y* 245.

ὑμεῖς, cuius spiritus asper e spirante palatali ortus est (cf. skr. „yushme“ (Curt. p. 355), vocalem *ῳ* in thesi produxisse videtur:

P 444. *θνητῷ, ὑμεῖς δ' ἐστὸν ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε.*

cf. Hoffm. I p. 56 cf. p. 78.

Sed cum *η* in quavis arsi produci possit (cf. H. I p. 58) atque vocalis *ῳ* in thesi etiam aliis locis, ubi e literis spirantibus nulla excusatio repeti potest, longitudinem servet, ex eis locis, quos modo attuli, nihil certi de literis spirantibus, quae in *ὑσμίνη* et *ὑμεῖς* valuerint, concludere debemus.

Iam postquam ex eis exemplis, quae Hoffmannus attulit, illas voces excepimus, quae, si in hiatu positae inveniuntur, literis spirantibus *ϝ*, j, s, quibus singula vocabula antiquitus instructa esse et productionibus brevium syllabarum in literam consonam exeuntium et linguarum comparatione efficitur, metricam difficultatem hiatu ortam removent, de reliquis locis, ubi hiatus natura firmiore terminationum excusatur, agamus! In hac, quae sequitur, disputatione ostendere conabor, apud Homerum inveniri aliquot terminationes in vocalem literam desinentes, quas in antiqua epica poesi natura fortiores fuisse, ita ut hiatum optime ferre possent, vocum formatione, linguis cognatis adiuvantibus, efficitur. Firmiorem autem naturam eo contineri demonstrabimus, quod illas syllabas, quae in Graeca lingua, qualis nobis est servata, breves se prae-

stant, in antiqua epica poesi productas se praebuisse, deinde ancipites factas esse certis, ut opinor, argumentis firmatur. Longas autem vocales in eisdem vocibus cum brevibus apud Homerum commutari posse non est, quod miremur. Sic legimus in carminibus Homericis *Κρονίονος* et *Κρονίωνος*, *δύο* et *δύω*, *δεῦρο* et *δεύρω*, quod Dindorf Herodianum secutus, primus in textum recepit *Γ* 240: *ἣ δεύρω μὲν ἕποντο*. Fortiorem autem fuisse naturam earum vocalium, quae in hiatu positae inveniuntur, praecipue ex ea re colligere possumus, quod maxima earum pars etiam ante voces, quas a singulis consonantibus incepisse constat, multis locis apud Homerum productam se praestat. De hac re nihil aliud iudicare debemus, ac de productionibus vocalium finalium, quae in antiqua Latinorum poesi inveniuntur: cf. Corssen: Vocal. Ausspr. p. 329 ss.

Illae enim vocales productae nobis antiquiorem linguae conditionem ostendunt, in qua pleniores formae in usu erant. In hac tota quaestione numquam confugiam ad productiones, quae inveniuntur ante eas voces, quas apud Homerum a *ϝρ* et *σν* incepisse verisimillimum est, de quibus conferas L. Meyer: *Ueber die anlautende Consonantenverbindung ϝρ in der homerischen Sprache* (K. Ztschr. XV p. 1 ss cf. Hoffm. I p. 136) et Hoffm. l. c. I p. 149—151. Itaque nunc ad eas vocales, quae in hiatu positae inveniuntur, considerandas accedamus!

Exempla, quae Hoffmannus attulit p. 88, ad hiatum in caesura trochaica pedis tertii excusandum, si perlustramur, quatuordecim extant loci, ubi terminatio medii *το* et *ντο* hiatum effecisse videtur.

cf. *Α* 569. *καθῆστο, ἐπιγνάμψασα*
Β 211. *ἕζοντο, ἐρήτυθεν*
315. *ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη*
571. *ἐνέμοντο Ἀραιθυρέην*
Δ 91. *ἕποντα ἀπ'*
Ε 270. *ἐγένοντο ἐνι*

E 388. *ἀπόλοιτο Ἄρης*
637. *ἐξεγένοντο ἐπί*
I 712. *ἠνείκαντο ἀέθλια*
426. *ἐφράσσαντο ἐμεῦ*
Π 848. *ὄλοντο ἐμῷ*
Y 148. *σεύαιτο ἀπ'*
Φ 426. *κεῖντο ἐπὶ*
Ψ 332. *τέτυκτο ἐπὶ.*

Eaedem terminationes in fine pedis quarti hiatum efficiunt cf. Hoffm. p. 90.

Θ 66. *ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ*
K 472. *κέκλιτο, εὖ κατὰ κόσμον*
Λ 84. *ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ*
461. *ἀνεχάζετο, αὖε δ' ἑταίρους*
Φ 234. *ἐπέσσυτο οἴδματι θύων*
Ψ 195. *ὑπέσχετο ἱερὰ καλὰ*
224. *ὀδύρετο ὀστέα καίων*
Ω 508. *ἀπώσατο ἦκα γέροντα.*

In hiatu illicito has syllabas positas invenis: (cf. Hoffm. I p. 93.)

E 748. *ἐπεμάιετο ἵππους* (Bekk. *ἐπεμαίετ' ἄρ' ἵππους*)
Ω 124. *ἐντύνοντο ἄριστον.*

το productum habes in illa formula, quae extat *M* 144. *O* 396. *Π* 366.

Τρῶας, ἀτὰρ Δαναῶν γένετο̄ ϝιϝαχή τε φόβος τε.

Savelsberg l. c. prs II p. 21 et Pohl. l. c. p. 21 Anm. 82 hanc productionem ea re excusare conantur, quod *ϝ* ad instar literarum liquidarum (cf. *ἔλλαβε* pro *ἔλαβε*) geminatum pronuntiari posse firmant. Sed huic sententiae assentiri non possum, cum mihi quidem constet, his locis contineri formulam ex antiquiore poesi epica in carmina Homerica translatam, qua *ο* firmiorem naturam servaverit. Eodem modo alias productiones, quae ante *ϝιϝάχω* exstant, explicari postea ostendemus. Eadem causa pro-

bare non possum ea, quae Peters l. c. p. 10 de ϝιϝάχω disputavit; putat enim ille vir doctus ϝιάχω et ϝιϝαχή a binis literis consonantibus incepisse. Sed cum ϝιϝάχω speciem formae reduplicatae prae se ferat, quam ad radicem „vag“ in (vagio) pertinere supra ostendimus, eius explicatio quoque fundamento caret.

Praeterea το productum habes.

ο 249. Μάντιος αὖ τέκετō Ποφείδεα.

Idem est ante μέγας:

Η 444. θηεῦντō μέγα ϝέργον
Ι 629. ἄγριον' ἐν στήθεσσι θέτō μεγαλήτορα
Φ 256. φεῦγ' ὁ δ' ὄπισθε ῥέων ἕπετō μεγάλῳ
Χ 307. τό ϝοι ὑπὸ λαπαρὴν τέτατō μέγα

μέγας a duabus literis consonis incepisse, id, quod Hoffmannus I p. 156 statuit, nullo argumento firmatur.

In numerum duriorum productionum redigit Hoffmannus II p. 186. Χ 303, ubi legimus: πρόφρονες, εἰρύατō νῦν.

Sed hunc locum excipiendum esse puto, cum νῦν a litera spiranti s inchoavisse veri simillimum sit cf. Savelsberg (K. Z. XVI p. 60). Vocalem ο in his terminationibus natura firmiorem fuisse, quam alias vocales, e multitudine locorum, ubi metricam difficultatem effecisse videtur, colligere debemus. Quid igitur nobis de hac terminatione iudicandum est? Formae medii in το et ντο desinentes sanskriticis terminationibus „ta et nta“ respondere, quis est qui neget? Iam cum constet, in Graecorum lingua ο, quod in fine vocum invenitur, vices vocalis a gerere, tum cum literas s aut τ aut ι vocalem ο secutas esse certis argumentis ostenditur (cf. K. Z. XV, 410), terminationes το et ντο e τοι et ντοι ortas esse ut statuamus, monet nos lingua sanskritica. Kuhnius enim, (*Ueber das Verhältniss einiger secundären Medialendungen zu den primären* XV p. 401 ss.) cum terminationes primarias in lin-

gua sanskritica „e, se, te“ ab antiquioribus formis „âi, sâi, tâi,“ quae adhuc in hymnis vedicis inveniuntur, atque coniunctivo describendo inserviunt, derivandas esse ostendat, atque his formis plenioribus Graecas terminationibus *μαι, σαι, ται,* comparet, terminationes secundarias „ta et nta“ e „tê et ntê“ originem duxisse demonstrat, ita ut „ta“ e tê (i. e. ta + i) oreretur, cum i amitteretur. Qua ex argumentatione perlucide apparet, Graecas terminationes, in *το* et *ντο* exeuntes, e *τοι* et *ντοι* ortas esse. Itaque non dubito, hanc proportionem statuere:

skr. âi: *αι* = tê (i. e. ta + *ι*): *το(ι)*.

Neque aliter res se habet in terminatione imperativi *σο*, quam duobus locis in hiatu positam invenimus:

Α 565. *ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο, ἐμῷ*
Δ 412. *τέττα, σιωπῇ ἧσο ἐμῷ*

Haec terminatio, quae est in lingua sanskritica „sva“ (in vedicis hymnis „svâ“), e *σϝαι* derivanda est, cum vi digammi litera a in *ο* debilitaretur, ita ut *σοι* i. e. *σϝαι* eandem speciem prae se ferret, quam terminatio secundae personae praebet, quam in temporibus secundariis e *σοι* ortam esse Kuhnius (l. c. p. 419) demonstravit.

Quae res cum ita sit, illae productiones syllabae *το*, quas apud Homerum invenimus, non in numerum duriorum redigendae sunt, sed antiquiorem formam servasse nobis existimandae sunt. Ex *οι* enim *ō* oreretur, necesse erat, priusquam haec vocalis brevem se praestitit. Si autem literis *το* antiquitus longam syllabam contineri constat, hiatus, qui his terminationibus *το* et *ντο* efficitur, e firmiore natura vocalis *ο* iustam repetit excusationem.

Etiam *ο* genetivi in *οιο* desinentis natura fortius fuisse, ita ut hiatum, in quo hanc terminationem saepissime invenimus, optime ferre posset, origine huius genetivi demonstrare possumus.

In caesura trochaica pedis tertii hiatus extat:

B 625. *Δουλιχίοιŏ Ἐχινάων*
854. *δίφροιŏ ἑτώσιον*
H 63. *Ζεφύροιŏ ἐχεύατο*
Λ 732. *ποταμοῖŏ· ἀτὰρ*
Ξ 154. *Οὐλύμποιŏ ἀπὸ*
Π 512. *ὑψηλοῖŏ ἀρήν*
Ψ 224. *ἑτάροιŏ ὀδύρετο*
252. *ἑτάροιŏ ἐνηνέος*
Ω 318. *ἀφνειοῖŏ, ἐὺ*
707. *κλαυθμοῖŏ, ἐπήν.*

Hiatum illicitum efficit haec terminatio:

Ψ 73. *ὑπὲρ ποταμοῖŏ ἑῶσιν*
Ω 349. *παρὲκ ϝίλοιŏ ἔλασσαν.*

Addo genetivum primae declinationis in *āo* desinentem, qui in hiatu extat:

P 610. *αὐτὰρ ὁ Μηριόνāŏ ὀπάονα*
Ψ 76. *νίσομαι ἐξ Ἀίδαŏ, ἐπὴν.*

Iam Hoffmannus I p. 85, multitudine locorum motus, hanc terminationem quovis loco hiatum ferre posse suspicatur. Si de origine huius genetivi quaestionem instituimus, illud *o* ex „as“ ortum esse ut dicamus, nos movent argumenta cum ex ipsa Graecorum lingua tum ex linguis cognatis repetita. Habemus enim in dialecto Dorica Genetivi formas *ἐμέος*, *ἐμεῦς*, *ἐμοῦς*, *τεῦς*, *τεοῦς* (cf. Ahrens. Diall. II p. 248—250), quae idem valent, quod epici genetivi *ἐμεῖο*, *σεῖο*. Istae Doricae formae ex *ἐμόσιος ἐμέσιος* et *τεόσιος τεϝέσιος* originem duxisse habendae sunt, cum „sj“ amitteretur. Etiam nominum genetivum, qui in *οιο*, i. e. *οσjο* desinit, litera s finali praeditum fuisse linguis cognatis satis certe efficitur. Sanskriticum a-sya, quod suffixum, cum genetivis formandis inserviat, idem valet, quod in lingua Graeca terminatio *ο-ιο* i. e. *ο-σjο*, ex antiquiore „syas“ ortum esse Kuhnius nuper (K. Z. XV p. 420 ss.) demonstravit. Cum enim in vedicis hymnis — „asyâ“ pro — „asya“ inveniamus, (cf. Benfey: Vollstän-

dige Skrt. Gr. 300 No. 1), e productione vocalis a perlucide apparet, literam consonam excidisse, quae, cum e lingua evanesceret, ad ipsius iacturam compensandam productionem vocalis a effecit (cf. K. Z. XV p. 410); quam literam amissam „s“ fuisse ut dicamus, nos monet genetivus feminini generis, quod semper formas masculinis fortiores servavit. Ad rem illustrandam exemplum afferam; „çivas,“ quod est masculini generis, genetivum „çivasya“ nobis offert, cum „civâs,“ quod est femininum, „çivâyâs“ praebeat. In „çivâyâs“ litera vocalis „a“ producitur, quod haec forma e „çivasyâs“ orta est. Si autem „civasyas“ formam primitivam pro „çivasya“ fuisse constat, sententia, quam M. Müller (Science of language I p. 106) de origine huius genetivi protulit, etiam firmatur. Demonstravit enim ille vir doctus, intimum conexum intercedere inter genetivum, in „sya“ desinentem, atque adiectiva suffixo „sya“ formata, qualia sunt „namasyas, venerabundus“ et „manushyas, humanus;“ si linguae Graecae rationem habemus, genetivus *δήμοιο* (i. e. *δημόσιο*) et formatione et notione idem valet, quod adiectivum *δημόσιος*; *ἀνὴρ δήμοιο* et *ἀνὴρ δημόσιος* eandem notionem describere, quis est, qui neget? Itaque genetivum in *σιο* desinentem e „syas“ ortum esse constat. E *δημόσιο* oriebatur *δήμοιο*, quae forma, cum s amitteretur, in *δήμοο* mutabatur, qua de forma conferas Ahrens: Rh. Museum II p. 161; atque ex hac terminatione genetivus in *ου* exiens prodiit.

Etiam genetivum in *ᾱο* exeuntem ex „asyas“ ortum esse mihi persuasum habeo. Vocalis *ᾱ* productam se praestat, quod s excidit. Hîc res non aliter se habet, atque in „çivâyâs“ (fem.), quod e „çivasyâs“ prodiisse supra ostendimus. Cum hiatus, qui extat in terminatione *ᾱο*, nobis ostendat, literam spirantem amissam esse, hanc literam j fuisse etymologia efficitur; *ᾱο* enim ex „ājas“ i. e. „asyas“ prodiisse, sanskritici genetivi formatione demonstratur. Huic nostrae genetivi explicationi repugnare videtur

forma *Τλασιαϝο*, quae in inscriptione Corcyraea invenitur cf. Savelsberg l. c. I p. 7. Idem vir doctus (l. c. prs. II p. 22) ab hac forma profectus genetivum in *οιο* et *αο* desinentem ex *οϝος* et *αϝος* explicare conatur, cum hos genetivos eodem suffixo, quo adiectiva *κεραϝός*, *κολοϝός* (*κολοβός*) formatos esse statuat. Sed cum *Τλασιαϝο* solum sit exemplum, quo digamma in hoc casu valuisse ostenditur, non dubito, quin Curtius cf. p. 534 recta ductus sit sertentia, cum hanc formam eis exemplis adnumeret, in quibus, si ad leges vocum formationis spectamus, litera Aeolica non iustum locum obtinet. Accedit aliud argumentum; non enim invenitur in lingua Latina genetivus, qui suffixo „vas" formatus sit, cum terminationem „ājas" i. e. „asyas" ibi valuisse certis usus argumentis ostendere possim. Sic antiquam genetivi formam „Prosepnâis" (Proserpinae) (cf. Corp. Inscr. latt. I p. 554 No. 57) e „Prosepnâyas" ortam esse constat, cum „ya" in *ι* debilitaretur. Quomodo ex hac genetivi forma terminatio „ae" originem duxerit, ostendit Corssen l. c. I p. 184.

Eodem suffixo genetivum Latinum in i exeuntem formatum esse mihi persuasum habeo. Ut enim nominativus pluralis, qui „eis, ei, i" praebet, ex antiquiore „ois" originem duxit, cf. Corssen l. c. I p. 220. Schleicher Compend. p. 534, ita etiam genetivus singularis in i desinens ex antiquiore forma — „ois" prodiit, cum oi in i mutaretur, atque s, quod adhuc servatum est in Osca forma „suveis", et in Umbrico „puples", amitteretur. cf. Bücheler: Grundriss der lat. Declination p. 36. Corssen l. c. I p. 223. Schleicher Compend. p. 558. Hanc autem terminationem „ōis", quae eadem ratione, qua „āis" in „Prosepnâis," formata est, ex „âyas" prodiisse, quis est, qui neget?

Iam cum demonstraverimus, o genetivi ex „a + s" ortum esse, causa, qua firmior natura huius vocalis continetur, non nobis occulta est. Quamobrem iste hiatus, quem haec litera effecisse videtur, nobis non offensioni

esse potest. Tum hoc loco de praepositionibus *ἀπό*, *ὑπό* *πρό* nobis agendum est, in quibus vocalem *ο* firmiorem naturam servasse, et linguarum comparatione et argumentis ex Homero repetitis ostenditur.

Ὑπὸ et *ἀπὸ* o productum praebent:

Ξ 492. *τῷ δ' ἄρ ὑπō μήτηρ*
O 276. *τῶν δέ θ' ὑπō ϝιϝαχῆς*
T 35. *μῆνιν ἀπōϝειπών*
Φ 283. *ὅν ῥά τ' ἔναυλος ἀπōϝέρσῃ*
329. *μῆνιν ἀπōϝέρσειε.*

Quoniam satis constat, neque verbum *ϝειπεῖν*, neque radicem, quae sub *ϝέρσῃ* latet, a binis consonis incepisse — nam *ϝειπεῖν* ad radicem sanskriticam „vac" pertinet cf. Curt. p. 403, atque *ἀποϝέρσαι* ab eadem stirpe, quae sub latino „verrere" occulta est, originem duxisse verisimillimum est. cf. Pott. Et. F. II p. 596 — causam productionis vocalis o firmiore . . eius natura contineri nobis pro certo habendum est. Hoffmannus II p. 186 has productiones in numerum duriorum redigit. Praeterea nobis non neglegendae sunt illae productiones, quae inveniuntur:

H 131. *θυμὸν ἀπō μελέων*
Π 607. *ᾤχετ' ἀπō μελέων*
B 44. *ποσσὶ δ' ὑπō λιπαροῖσιν*
N 334. *ὡς δ' ὅθ' ὑπō λιγέων ἀνέμων*
Ψ 215. *πνοιῇ ὕπō λιγυρῇ*
X 307. *τό ϝοι ὑπō λαπάρην τέτατō μέγα*

Illas voces quae praepositionem *ὑπὸ* et *ἀπὸ* excipiunt, a binis literis consonis inchoavisse, etymologia non demonstratur, quamobrem non dubito, quin hi loci huc referendi sint.

O in *ὑπό* et *ἀπό* natura fortius fuisse, e quaestione, quam de huius vocalis origine instituemus, perlucide apparet. Praepositionibus enim *ὑπό* et *ἀπό* intimus conexus cum sanskriticis „upa et apa" intercedit, quibus antiquiores

formas „upas et apas“ substituendas esse supra ostendimus cf. p. 81 et K. Z. XV p. 407. Ab his formis primitivis in „as“ desinentibus profectae praepositiones *ὑπαί* et *ἀπαί* eodem modo ortae esse videntur, quo *παροι* in *παροίθεν* a *πάρος* = skr. puras derivandum esse demonstravit Kuhnius (XV, 408). Pottius Et. Forschg. I p. 463. *ι* in *παραί* idem i esse suspicatur, quod locativo formando inservit. Ut autem *παραί* antiquioris formae speciem prae se fert, e qua *παρά* oriebatur, ita etiam ex *ὑπαί* et *ἀπαί* formae *ὑπά* (quae adhuc servata est cf. Ahr. Diall. I, 75) et *ἀπά* quae, etsi non traditur, tamen praepositioni *ὑπό* substituenda est, prodierunt. Cum autem *α* in *ο* mutaretur, ortae sunt formae *ἀποί* et *ὑποί*, quae eodem modo, quo terminationes medii in *το* et *ντο* desinentes e *τοι* et *ντοι* originem duxisse ostendimus, in *ἀπό* et *ὑπό* transierunt. Itaque

ὑπαὶ, ἀπαὶ: ὑπά (ἀπά). =
(*ὑποὶ*) (*ἀποὶ*): *ὑπὸ, ἀπό.*

Qua ex argumentatione cum intellegamus, *ο* in *ὑπό* et *ἀπό*, quia ex „as“, „*οι*“ ortum est, natura firmiore praeditum fuisse, productio huius vocalis, quae extat eis locis, quos supra attuli, optime explicatur; constat enim, o priusquam brevem se praestitit, longum, tum anceps fuisse, ita ut illi loci antiquiorem poeseos usum imitati esse mihi videantur. Formas *ὑπαί* et *παραί*, quam praepositionem etiam L. Meyer (K. Z. VII p. 419) antiquiorem speciem, quam *παρά*, prae se ferre iudicavit, apud Homerum legimus: *παραὶ* *Ε* 837. *Δ* 233. 793. *Ν* 605. *Ξ* 208. *Ο* 175. 280. 404. *Ψ* 132. *Ω* 771. *ὑπαὶ* *Β* 824. *Γ* 217. *Δ* 417. *Μ* 149. Hoffmannus I p. 165. has formas in *αι* desinentes ideo in textum illatas esse putat, ut productio secundae syllabae in *παρά* et *ὑπό*, excusaretur; quam sententiam non bene stare mihi persuasum est, cum *ὑπαί* et *παραί* antiquiores formas nobis offerre demonstraverimus. Eadem de causa Pohlio assentiri non possum, qui l. c. p. 20 Anm. 80 has

formas propter inscitiam legis, quae eo contineatur, quod post brevem vocalem arsis locum obtinentem ϝ duplicari possit, a poëtis inventas esse statuit.

Etiam *ο* in *πρό* apud Homerum hiatum optime ferre potuisse, quaestione de eius origine instituta demonstratur. Accedit quod haec praepositio raro elisionem patitur cf. Hoffm. I p. 81.

Hiatum efficit:

Δ 156. *οἶον προστήσας πρὸ Ἀχαιῶν.*
Κ 286. *ἐς Θήβας, ὅτε τε πρὸ Ἀχαιῶν.*
Δ 382. *οἱ δ' ἐπεὶ οὖν ᾤχοντο ἰδὲ πρὸ ὁδοῦ ἐγένοντο.*

Cum praepositio sanskritica „pra,“ cui *πρό* comparandum est, in vedicis hymnis semel productam syllabam nobis offerat (cf. prâ), cf. Kuhn l. c. p. 409, atque lingua Latina formas „prŏ,“ prô, prôd- servaverit, veri simillimum est, *ο* in *πρό* simplicis „a“ munere non fungi. Nam productio vocalis a in sanskritico „prâ“ literam post „a“ amissam esse ostendit, id quod zendica forma „frô,“ quae vicem praepositionis „fra“ gerit, firmatur. cf. Iusti l. c. p. 205. Hanc literam s fuisse suspicari ausim. Itaque, cum *ο* in *πρό* ex „as“ ortum esse verisimillimum sit, illi loci, ubi *πρό* hiatum effecisse videtur, e firmiore huius vocalis natura iustam repetunt excusationem.

Pronomen demonstrativum *ὁ* = „sas, sa“, quod Hoffmanno duce (cf. I p. 80) numquam crasin patitur, in hiatu positum habes

Α 333 }
Θ 446 } *αὐτὰρ ὁ ἔγνω ϝῇσιν ἐνὶ φρεσί, φώνησέν τε*

quos locos ad antiquissimas partes Iliadis pertinere constat cf. Fulda: Untersuchg. p. 111.

Γ 379. *αὐτὰρ ὁ ἂψ ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων.*
Φ 33. *αὐτὰρ ὁ ἂψ ἐπόρουσε δαϊζέμεναι μενεαίνων*
Ε 142. *αὐτὰρ ὁ ἐμμεμαὼς*
Θ 271. *αὐτὰρ ὁ αὖτις.*

Si consideras, ὅ e „sas" ortum esse cf. skr. sas (sa), metrica difficultas, quae hoc pronomine efficitur, tibi non offensioni esse potest, cum ο duarum literarum vices gerat. Accedit, quod his locis initium antiquioris dicendi formulae continetur.

Postremo huc referendum esse mihi videtur pronomen relativum, quod productum habes:

χ 327. κείμενον, ὅ (ξίφος) ῥ' Ἀγέλαος ἀποπροέηκε χαμᾶζε.

Idem pronomen in hiatu extat:

E 303. Τυδείδης, μέγα ϝέργον. ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν.
Y 286. Αἰνείας „ „ „ „ „ „ „
N 100. δεινόν, ὃ οὔ ποτ' ἔγωγε τελευτήσεσθαι ἔφασκον.
Y 466. νήπιος, οὐδὲ τὸ ϝήδη, ὃ οὐ πείσεσθαι ἔμελλεν.

Videmus, hiatum, qui in his versibus extat, eisdem vocabulis ὃ ου contineri, e quibus vocalem ὅ graviore auctoritate praeditam fuisse iam ex ea re colligere possumus, quod, si in hac pronominis forma locum obtinet, numquam crasin patitur. Neque aliter res se habet:

Π 228, ubi τό productum invenimus. cf. τό ῥα τότ' ἐκ χηλοῖο λαβὼν ἐκάθηρε θεείῳ.

Idem τό hiatum efficit:

Z 201. ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήιον.
Ψ 585. ὄμνυθι μὴ μὲν ἑκὼν τὸ ἐμὸν.

Hoffmannus I p. 163. istam productionem durissimam esse censet.

Omnibus his locis vocali ο (in ὃ et τό) magnam vim inesse ea re efficitur, quod ο munere literarum „at" (cf. skr. „yat, tat") fungitur. Idem iudicandum est de syllaba τω in οὕτω, quae cum e τως (cf. οὕτως) oreretur, idem valet, quod sanskriticum „tât." Iam verisimillimum est, literam dentalem, (in yat, tat), cum in s mutaretur, effecisse, ut a in o turbaretur, cum ipse evanesceret. cf. Kuhn XV p. 409. Itaque cum ο omnibus his locis ex „at" ortum esse constet, neque productiones, quae inveniuntur Π 228

et *X* 327, neque hiatus, quem pronomina *ὅ* et *τό* efficiunt, excusatione carent.

Ex hac disputatione de vi atque auctoritate vocalis o instituta perlucide apparet, etiam e carminibus Homericis gravia argumenta repeti posse, quae eam sententiam, quam supra protulimus, literam o, si in fine vocum invenitur, aut ex a + s, aut ex a + t, aut ex a + i prodiisse veram esse ostendunt.

Iam de natura firmiore vocalis „a," quam saepissime in hiatu positam invenimus, accurate agamus necesse est. Primum animum advortamus ad illud „a," quod adhibetur ad nominativum et accusativum earum vocum, quae sunt neutrius generis, formandum.

Illud a hiatum efficit in caesura trochaica pedis tertii: cf. Hoffm. I p. 88.

Α 88. *μακρά, ἄδος.*
Ξ 6. *λοετρὰ εὐπλόκαμος.*
Ψ 533. *καλὰ ἐλαύνων.*
Ω 733. *ἔργα ἀϝεικέα.*

Non dubito, quin huc referendus sit superlativus „*μάλιστα*," qui, cum adverbii munere fungatur, accusativus pluralis neutrius generis existimandus est. cf.

Δ 96. *μάλιστα Ἀλεξάνδρῳ.*

In fine pedis quarti hanc terminationem hiatum efficientem invenimus: cf. Hoffm. I p. 90.

E 568. *ἔγχεα ὀξυόεντα.*
Y 170. *ἴσχια ἀμφοτέρωθεν.*
Ψ 465. *ἡνία, οὐδὲ.*

Neque aliter res se habet in thesi pedis primi: cf. Hoffm. I p. 91.

Π 404. *ἡνία, ἠΐχθησαν.*
E 723. *χάλκεα ὀκτάκνημα.*
X 260. *ὅρκια ἔσσονται.*

Idem est in caesura trochaica pedis primi: *T* 194. *δῶρα ἐμῆς.*

In hiatu illicito haec terminatio invenitur: cf. Hoffm. I, 92.

N 22. ἄφθιτα αἰεί (finis est versus).
Σ 4. τετελεσμένα ἦεν (finis est versus).
B 87. ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων.
Λ 678. πώεα οἰῶν (est versus clausula).

Idem a productum habemus:

E 745. φλόγεᾱ ποσί.
Θ 389. „ „
Υ 255. ἰτεᾱ́ τε.
Φ 352. τᾱ̀ περί.
Ψ 240. ἀριφραδέᾱ δέ.
Ω 7. ὁππόσᾱ τολύπευσε.
κ 353. πορφύρεᾱ καθ' ὕπερθ'.
ψ 225. ἀριφραδέᾱ κατέλεξας.

Ante digamma α pluralis producitur in illa formula, quae est:

σμερδαλέᾱ ϝιϝάχων

cf. *Π* 785. *Τ* 41. *Υ* 285. 382. 443.

Idem est ante spirantem literam j, de qua conferas p. 98:

Θ 556. φαίνετ' ἀριπρεπέᾱ, ὅτε.

Ante μέγας hoc α producitur.

Π 775. πολλὰ δὲ χερμάδιᾱ μέγαλ'.

Hoffmannus II p. 186 has productiones, eis locis, ubi ϝιϝάχω et μέγαλ' vocalem α excipiunt, neglectis, in numerum duriorum redigit.

Si spectamus ad linguas cognatas, grammatica sanskritica nos docet, nominativum et accusativum pluralis earum vocum, quae sunt neutrius generis, quarumque thema i. e. forma primitiva in „a" desinit, terminatione „âni" uti, ad pluralem numerum describendum, cf. çiva çivâni. In dialecto autem vedica saepissime longa vocalis „â" eisdem casibus describendis inservit cf. kâmiâ = kâmiâni Rg. Vd. I, 8. 10. raucanâ = raucanâni R. V. I, 6. 1; ad quas formas antiquiores in lingua Graeca nominativum et ac-

cusativum pluralis earum vocum, quae alterum flexionis ordinem sequuntur (cf. δῶρα), referendos esse, cum â, quod ex „aa“ originem duxit, corriperetur, iam vidit Bopp. Vgl. Gr. I p. 458. Quamobrem equidem censeo, illas, quas Hoffmannus dicit, duriores productiones formam antiquiorem nobis servasse, quae, etsi iam apud Homerum in eo erat, ut paulatim e Graecorum lingua evanesceret, tamen certa vestigia reliquit, quae si persequimur, nobis ostendunt, longum a in illis casibus non solum linguae sanskriticae, sed etiam linguae Graecae proprium fuisse. Tum hoc loco nobis non neglegenda est lingua Latina, in qua etiam inveniuntur exempla, quae „a“ nominativi pluralis productum servaverunt; cf. Pl. Men. 975 „vérberā cómpedes“ Ter. Ad. 612, mémbra metu débiliā sunt“; neque aliter res se habet in „trigintā, quadrāgintā,“ quas formas antiquissimis temporibus a productum servasse demonstravit Corssen l. c. I, 332 et in recensione libri Bücheleri, qui est inscriptus: *Grundriss der lat. Declination*, quam invenis K. Ztschr. XVI p. 297 [1]).

Iam si constat, illud a antiquissimis temporibus in Graeca lingua longum fuisse, illud nobis non offensioni esse potest, quod eandem literam in hiatu positam invenimus. Natura firmiore huius vocalis ista metrica difficultas removetur. Si spectamus ad eosdem casus, quales tertius flexionis ordo nobis offert, cf. ἔθνε(σ)α, statuamus necesse est, has formas falsam analogiam secutss, eodem modo ortas esse quo eosdem casus in secundo flexionis genere natos esse ostendimus, cf. Christ. l. c. p. 14, quamquam linguam sanskriticam aliam viam ingressam esse constat.

E numero eorum locorum, quos supra attuli, Ω 733. ubi legitur ἔργα ἀϝεικέα, nunc excipio, ut de ἀ privativo,

1) Hac argumentatione etiam illa sententia firmatur, quae nominativum et accusativum pluralis earum vocum, quae sunt neutrius generis, in omnibus linguis Indo-Germanicis antiquissimis temporibus in a productum exiisse statuit. cf. Ebel. K. Z. V p. 64.

quod nos ad aliam explicationem hiatus incitare videtur, brevi agam. Pottius enim Et. Forschg. II p. 367 haec disserit: „*Was soll man aber vollends dazu sagen, wenn in ein Paar Wörtern mit* α privat. *letzteres digammirt sein soll, das doch vermöge seines Aussehens als* a, an *im Sanskrit gegen alle Wahrscheinlichkeit streitet?* Ad hanc argumentationem ille vir doctissimus adductus est glossa Hesychii, qui γάμμοροι, ἀμέτοχοι, ἐστερημένοι tradit; γάμμοροι autem nihil aliud esse potest, ac ϝάμμοροι i. e. ἄμμοροι (ἄνευ μοίρας (κλήρου) ὄντες) cf. Thiersch. Gr. Gr. p. 187. 9. Idem Hesychius etiam γαπελεῖν pro ἀμελεῖν (i. e. ϝαμελεῖν) pronuntiatum esse testatur. Quid de his formis nobis iudicandum est? Si non sunt prave traditae, illud „va“ tamen non idem valet, quod α privativum, de quo inspicias Pott. l. c. I, 382 et Bopp. Vgl. Gr. III § 371 p. 180, sed ortum esse mihi videtur e praepositione sanskritica „ava,“ de qua mutilata in „va“ conferas ea, quae Pottius I p. 597 disputavit. Est idem „ava“, e quo particulam negativam οὐκ originem duxisse verisimillimum est (cf. Pott. I p. 405). Sin autem Christius l. c. p. 264 hoc „va“ idem esse firmat, quod Latinum „ve“ in „vēcors, vēsanus,“ equidem eius sententiae assentiri non possum, quia productum „e“ hac explicandi ratione non excusatur. Etiamsi nihil certi de hac Latina syllaba „vē“ afferre possum, illa via, quam Pottius I p. 720 ingressus est, ad eam explicandam, melius munita mihi esse videtur, quam Christii conatus, quo literas „ve“ etymologice illustrare vult. Quamobrem Pottii dubitationes de origine α in ἀϝεικέα nos movere non possunt, cum hoc α ἀ privativum sit, ideoque non eadem ratione explicari possit, qua illud ϝα in ϝάμμοροι. At quis piam dicat, ex illo „va“ α privativum originem duxisse, cum digamma sensim sensimque e lingua evanesceret; quod non fieri potest, cum ἀν formam primitivam illius α privativi fuisse mihi persuasum sit cf. Pott. I, 382. Itaque Boppii sententiam probare non possum, quae eo continetur, quod

ille vir doctus *αν* formam ex „*α*“ amplificatam esse docet.

Iam animum advertamus ad *ᾰ* Accusativi singularis, quod et productum et in hiatu positum invenimus.

Hiatus extat in caesura trochaica pedis tertii: cf. Hoffm. I p. 88. 89.

Δ 295. *Πελάγοντα, Ἀλάστορα.*
Θ 285. *ἐόντα, ἐϋκλείης.*
Λ 373. *θώρηκα Ἀγαστρόφου*
Χ 125. *γυναῖκα, ἐπεὶ.*
Ψ 233. *Ἀτρείωνα ἀολλέες.*
360. *Φοίνικα, ὀπάονα.*

Idem est in fine pedis quarti: cf. Hoffm. I p. 90.

Μ 320. *μελιηδέα, ἀλλ'.*

neque minus certe huc referendum esse puto Λ 532, *εἰς ἅλα ἆλτο*, ubi hiatus extat in thesi pedis primi. Cum ante verbum *ἅλλομαί* non invenerim productionem brevis syllabae in literam consonam desinentis, hoc loco ad literam s initialem confugere non licet. cf. *ἅλλομαι* lat. salio cf. Curt. p. 483.

Hiatum illicitum hoc *α* Accusativi efficit: cf. Hoffm. I p. 93.

Ψ 263. *θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι.*

Eandem vocalem productam videmus:

Λ 45. *ἀμφηρεφέᾱ τε φαρέτρην.*
Ε 827. *Ἄρηᾱ τό γε.*
Ξ 320. *Περσῆα πάντων.*
Ε 576. *Πυλαιμένεᾱ ϝελέτην.*
κ 141. *ναύλοχον ἐς λιμένᾱ, καί.*

Hoffmannus (II p. 186. cf. I p. 160. 164) has productiones duriores neque iusta excusatione usas dicit.

Ante *μέγας* saepissime productionem huius vocalis invenimus cf.:

E 547. *Διοκλῆα μεγάθυμον.*
M 379. *Ἐπικλῆα μεγάθυμον.*
Π 594. *Βαθυκλῆα μεγάθυμον.*
Π 818. *Πατροκλῆα μεγάθυμον.*
Π 488. *αἴθωνᾱ μεγάθυμον*
H 462. *αὖτις δ' ἠιόνᾱ μεγάλην* cf. *M* 31
Σ 344. *ἀμφὶ πυρὶ ςτῆσαι τριπόδᾱ μέγαν*
cf. *X* 443. *Ψ* 40.
P 299. *Πατρόκλοιο πόδᾱ μεγαλήτορος.*
626. *οὐδ' ἔλαθ' Αἴαντᾱ μεγαλήτορα.*
Φ 243. *εὐφυέᾱ μεγάλην.*

Eadem ratione, qua modo terminationem nominativi pluralis neutrius generis explicavimus, etiam Accusativum tertiae declinationis, in *α* desinentem, illustrare conabor. Accusativum in lingua Graeca in „n" exire, quod sanskritico „m" respondet, satis constat. cf. Bopp. Vgl. Gr. I § 149; neque minus certis argumentis firmatur, accusativum tertiae declinationis antiquissimis temporibus in „n" exiisse, quod postea e lingua evanuit. Sic sanskriticum „padam" graeco *πόδα* accurrate respondet. Ut autem literae „n" iacturam compensaret, Graecam linguam illud *α* primum productum servasse, quod postea paulatim in *ᾰ* correptum esse constat, nobis pro certo habendum est. Accedit, quod Graecum *α* tum sanskritico „a" respondet, cum ex antiquiore „â" originem duxisse constat, cuius productio literam nasalem post „a" amissam esse nobis ostendit. Literam *α* autem in lingua Graeca firmissimam fuisse etiam aliis exemplis efficitur. Sic *ἤνεγκα, ἔπεσα, ἔσχα* iuxta *ἤνεγκον, ἔπεσον, ἔσχον* invenimus, e quibus formis literam *α* eadem vi, qua *ον*, praeditam fuisse colligere debemus. Itaque non dubito, quin huc referenda sit prima persona imperfecti verbi *εἶναι*, quae est: *ἔα*; quae forma cum ex *ἔα(ν)* (i. e. *ἔαμ*), non aliter atque *ἔδειξα* ex *ἔδειξαμ* (cf. skr. adîksham) orta sit, atque idem valeat, quod *ἔον* (*Λ* 762. *Ψ* 643), de qua forma conferas Ahrens: Conjugation auf mi p. 30,

imperfectum ἔα producta vocali α apud Homerum inveniri non est, quod miremur. *E* 887 enim legitur:

ἤ κε ζὼς ἀμενηγὼς ἔᾱ χαλκοῖο τυπῆσιν.

Veri simillimum est, hoc α, priusquam breve se praestitit, longum fuisse. Sic etiam Accusativus secundi flexionis ordinis — ον idem valet, quod una vocalis α, quae accusativum tertiae declinationis describit. Vocalem a autem magna vi praeditam fuisse inde apparet, quod vocalis o, ut idem valere posset, litera nasali n fulcro usa est. Idem nobis statuendum est de formis, quae in Graeca lingua altera iuxta alteram inveniuntur, ἕνεκα — ἕνεκεν, ἔπειτα — ἔπειτεν, ἐξόπισθα — ἐξόπισθεν; οἴκονδε — οἴκαδε; πάθος — πένθος. cf. Christ. l. c. p. 15. Itaque cum illud α Accusativi, ex a + n ortum, antiquissimis temporibus longum fuisse statuam, non dubito, quin illae productiones, quae apud Homerum inveniuntur, nobis antiquiorem formam offerant, quae longa vocali „a“ instructa erat. Quam ob rem illos locos in numerum metricarum difficultatum non redigendos esse mihi persuasum habeo. Si autem illud α productum apud Homerum invenitur, hiatum, in quo eandem vocalem positam videmus, iustam nancisci excusationem statuamus necesse est.

Etiam α finale in περιδείδια firmissimum fuisse, ita ut hiatum, qui extat *K* 93:

αἰνῶς γὰρ Δαναῶν περιδείδια, οὐδέ μοι ἦτορ.

(cf. Hoffm. I p. 88) ferre posset, ostendam.

Cum in lingua sanskritica idem a, quod primae personae singularis perfecti formandae inservit, adhuc productum inveniamus, cf. bibhayâ (R. V. VIII, 45, 35) cf. Kuhn. XV p. 405, productio huius vocalis nobis demonstrat, post „a“ literam amissam esse, quam nasalem fuisse constat; atque si rationem habemus Graeci perfecti περιδείδια, quod eodem modo formatum est, quo Aoristus ἔτυψα i. e. ἔτυψαμ, firmior natura vocalis α optime eo explicatur,

quod ex a + m originem duxit. cf. Schleicher: Compend. p. 664. Itaque iste hiatus iustam habet excusationem.

Tum in hiatu positum invenimus terminationem primae personae pluralis medii, cf.

Θ 503. δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα· ἀτάρ.

cf. Hoffm. I p. 89. Idem a productum habemus,

X 393. ἠράμεθᾱ μέγα κῦδος.

κ 42. οἴκαδε νισσόμεθᾱ κενεὰς σὺν χεῖρας ἔχοντες

Leo Meyer: K. Z. VII p. 219 ex hoc loco colligit, κενεός apud Homerum a κϝ incepisse, cum hoc adiectivum ad sanskriticum çûnya referendum sit, quod nobis antiquiorem formam „çvanya“ praebeat. Sed hac explicatione non opus est, cum vocali α causam productionis contineri demonstraturi simus.

Vocalem α in μεθα tam fortem esse, ut duarum literarum partes suscipiat, iam inde apparet, quod apud Aeoles testibus grammaticis, quos videas apud Ahrens. Dial. I p. 130 § 24, sola vocalis ε iacturam vocalis „α“ compensare non poterat, sed cum litera nasali coniungenda erat, ut eandem auctoritatem obtineret, quae literae α inerat. Aeoles enim terminatione μεθεν pro μεθα utebantur. Si spectamus ad primam personam dualis, quae est μεθον, huic formae eadem ratio intercedit cum terminatione μεθα, quae est inter Accusativum secundi flexionis ordinis et eundem casum tertiae declinationis: μεθα: μεθον = πόδα: οἶκον. Accedit, quod illa forma dualis a prima persona pluralis originem duxit cf. Schleicher: Compend. p. 696. Si de origine huius α in μεθα quaerimus, mihi quidem constat, illud α non ex αν (cf. μεθαν) ortum esse, id quod Misteli, p. 331 K. Z. XV statuit, sed ut terminationibus medii μαι, σαι, ται sanskriticae „me,“ „se“, „te“ accurate respondent, ita etiam μεθα eodem modo ortum esse mihi videtur, quo sanskriticum „mahe“, zend. maide; hae autem terminationes ad formam primitivam, quae est „madhai“ referendae sunt, ita ut μεθα e μεθα(ι)

originem duxisse existimandum sit, eodem modo, quo *παρά* e *παραι* ortum esse supra ostendimus. Huic nostrae derivationi terminationis *μεθα* non repugnant formae *μεθεν*, *μεθον*; hae enim eadem ratione, qua sanskriticae terminationes „dhvê" et „dhvam" non separandae sunt, cum *μεθα* coniungantur necesse est. Itaque hanc proportionem statuo:

μεθα(ι): skr. dhvê = *μεθον* (*μεθεν*): skr. dhvam.

Qua argumentatione satis certe efficitur, productionem vocalis *α* nobis non offensioni esse posse; constat enim, hanc vocalem, priusquam brevis syllabae mensuram obtinuit, longum fuisse; quamobrem etiam iste hiatus iustam nanciscitur excusationem.

Tum huc referendam esse puto secundam personam Imperfecti, quae in „tha" desinit; *E* 898 enim *ἦσθα* hiatum, qui extat in caesura trochaica pedis tertii, effecisse videtur. Ibi legimus:

καί κεν δὴ πάλαι ἦσθα ἐνέρτερος Οὐρανιώνων.

C. Venetus lectionem praebet *ἦσθας ἐνερτερος*, quam Spitznerus in textum recepit. Cum hic locus solum offerat exemplum, quo *θας* munere terminationis *θα* apud Homerum functum esse ostenditur, Ahrens: Conjugation auf *μι* p. 30 hanc formam nihil valere firmat; dicit enim ille vir doctus: *Die jüngere, unorganische, halbbarbarische Form ἦσθας ist Il. E. 898 von Spitzner aus dem Ven. zur Vermeidung des in der Hauptcaesur ganz erlaubten hiatus aufgenommen.* Nihilo minus *α* in *ἦσθα* natura firmiore praeditum fuisse alio argumento ostenditur. In lingua enim sanskritica terminationem „tha," cui illud *θα* in *ἦσθα* comparandum est, cf. Schleicher: Compend. p. 671, adhuc productam invenimus cf. vetthâ R. V. VI, 16. 3 pro vettha, neque aliter res se habet in lingua Zendica, ubi „vôiçtâ" pro „vôiçta" habemus, cf. Iusti. Zd. Lexic. rad. vid. p. 275. cf. Kuhn (XV p. 406). Hae formae productae, etiamsi in linguis Aricis paucissimis locis inveniuntur, tamen antiquiores nobis existimandae sunt, atque ita explicandae,

ut litera post „a" amitteretur, quae productionem vocalis α effecit; quamobrem non dubito, quin Graecum θα ex antiquiore θâ ortum sit, ita ut hiatus, qui extat *E* 898, nobis non offensioni esse possit. Si ἦσθας maioris antiquitatis speciem prae se ferret, ex hac forma colligerem, literam amissam „s" fuisse, quae, cum e lingua evanesceret, α produxit, quod postea breve se praestitit.

Iam animum advertamus ad *Δ* 203, ubi α in ἵνα hiatum, qui extat in thesi pedis primi (cf. Hoffm. I p. 91), effecisse videtur. Ibi enim legimus:

ἦ ἵνα ὕβριν.

Idem α productum invenimus *H* 353

ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνᾱ μὴ ῥέξομεν ὧδε.

Sed spurius est hic versus.

ἵνα ad stirpem pronominis relativi pertinere atque instrumentalis formam nobis offerre iam supra ostendimus. α autem in ἵνα antiquissimis temporibus firmissimum fuisse, ita ut hiatum atque productionem optime ferre posset, inde apparet, quod α instrumentalis ex „â" ortum esse constat. Sic in lingua sanskritica nobis adhuc antiquiores instrumentalis formae servatae sunt, quae a productum praebent. In hymnis enim vedicis „kulisenâ" (Rg. Vd. I, 32.5) „tenâ" et „yenâ" (=ἵνα), producta vocali a, inveniuntur cf. Bopp. Sskrt. Gr. p. 86, neque aliter res se habet in Graeco ἅμα, quod, cum instrumentalis formam amplectatur, in dialecto Dorica „a" productum servavit cf. Schleicher l. c. p. 579.

Etiam vocalem α in ἔπειτα et ἄρα firmiorem fuisse, quia ex a + m originem duxit, ostendere conabor.

ἔπειτα hiatum efficit in caesura trochaica pedis tertii cf. Hoffm. I p. 89.

Ω 297. οὐκ ἂν ἔγωγέ σ' ἔπειτα ἐποτρύνουσα κελοίμην

neque aliter res se habet *E* 90, ubi voce ἄρα causa hiatus, qui extat in thesi pedis primi, continetur cf. Hoffm. I p. 91. Ibi enim legimus:

οὔτ' ἄρα ἕρκεα (σ) ἴσχει

Hunc versum ad antiquiorem partem libri *E* pertinere, iam ex ea re colligere possumus, quod s initiale in verbo *ἴσχειν* valuisse hiatu illicito efficitur cf. p. 40. Quamobrem mirari non debemus, quod in eodem versu secundum *α* in *ἄρα* firmiorem naturam servavit, ita ut hiatum optime ferre posset cf. Hoffm. II p. 204.

α in *ἄρα* productum invenimus ante digamma

ξ 411. *τὰς μὲν ἄρᾱ ϝέρξαν.*

Idem est ante *Λήτω* cf.

Ω 607. *οὕνεκ' ἄρᾱ Λητοῖ.*

Λητώ a duobus literis consonis inchoavisse, id quod Hoffmannus I p. 148 statuit, etymologia non demonstratur.

Ante *μάστιξ* duobus locis *ἄρα* producitur:

Ψ 510. *κλῖνε δ' ἄρᾱ μάστιγα.*

642. *ἔμπεδον ἡνιόχευ' ὁ δ' ἄρᾱ μάστιγι κέλευεν,*

Huc non referendum esse puto:

Ξ 444. *Ἠνοπίδην, ὃν ἄρᾱ νύμφη τέκε,*

quia verisimillimum est, *νύμφη* a literis „sn" inchoavisse cf. Leo Meyer: *Bemerkg. zur ältest. Gesch. der griech. Mythologie* p. 66. 67. Si spectamus ad *ἔπειτα*, iam e forma *ἔπειτεν* perlucide apparet, *α*, cum idem valeat, quod *ε* + *ν*, magna vi praeditum fuisse, ita ut hiatum optime ferre posset. Verisimillimum est, illud *α* ex „am" ortum esse. Eadem autem ratio, quam inter terminationes *μεθα* et *μεθεν* intercessisse supra ostendimus, etiam extat inter *ἔπειτα* et *ἔπειτεν*.

ἔπειτα: *ἔπειτεν* = *μεθα*: *μεθεν*.

Quod attinet ad formam *ἄρα*, mihi persuasum est, secundum *α* in *ἄρα* ex „am" ortum esse; *ἄρα* enim sanskritico „aram" (cf. Sskrt. Wörterbuch Bhtlgk. u. Roth. I p. 403. 407) comparandum esse ostendit Ebelius in K. Z. V p. 65. Itaque cum *α* in *ἄρα*, ex „am" ortum, antiquissimis temporibus longum fuerit, productiones, quas supra attuli, atque hiatus, qui extat *E* 90, nobis non offensioni esse possunt.

Tum in hiatu illicito positas invenimus voces *δέκα* et *παρά*. cf. Hoffm. I p. 93.

> *Λ* 24. *τοῦ δ' ἤτοι δέκα οἶμοι. ἔσαν μέλανος κυάνοιο.*
>
> *Λ* 109. *Ἄντιφον αὖ παρὰ οὖς ἔλασε ξίφει, ἐκ δ' ἔβαλ' ἵππων.*

α in *δέκα*, cum ex „an" ortum sit, cf. skrt. „daçan" (Schleicher: Compend. p. 61), hiatum optime ferre posse constat; nam priusquam illud *α* brevis syllabae mensuram accepit, haec vocalis productam se praestaret, necesse erat, ita, ut ex „an" oreretur *ᾱ*, quod postea in *ᾰ* transiit. cf. Kuhn (Ztschr. XV p. 405). De praepositione *παρὰ*, quae, cum e *παραὶ* prodierit (cf. p. 113), firmiorem vocalis *α* naturam servavit, non opus est, copiosius agere.

Idem *α* habemus in *κατά*, quod e *καταί* ortum est. Haec vocalis producitur:

> *κ* 479. *οἱ μὲν κοιμήσαντο κατᾱ̀ μέγαρα.*
>
> *λ* 334. *κηληθμῷ δ' ἔσχοντο κατᾱ̀ μέγαρα.*
>
> *Σ* 159. *ἄλλοτ' ἐπαΐξασκε κατᾱ̀ μόθον.*
>
> *Φ* 310. *ἐκπέρσει, Τρῶες δὲ κατᾱ̀ μόθον.*

Neque *μέγαρον* neque *μόθος* a binis literis incepisse constat.

Iam cum demonstraverimus, eas voces, quae in *α* desinentes hiatum effecisse videntur, e firmiore natura huius vocalis iustam repetere excusationem, quia *α*, tum cum in fine vocum invenitur, ex „â" ortum esse linguis cognatis adiuvantibus constat, cuius literae productio in maxima parte vocum literam nasalem amissam esse nobis ostendit, non facere possum, quin etiam *ᾰ* nominativi feminini generis ideo hiatum optime ferre potuisse dicam, quia haec terminatio ex *α* producto originem duxit. Hoc *α* enim hiatum efficit in caesura trochaica pedis tertii cf. Hoffm. I p. 88. 89.

E 343. ἰάχουσα ἀπό.
424. καῤῥέζουσα ᾿Αχαιάδων.
Σ 48. Ὠρείθυια ἐϋπλόκαμος.
Φ 142. Περίβοια ᾿Ακεσσαμένοιο.
421. κυνάμυια ἄγει.

Eandem terminationem productam vidi ante μέγας:
τ 92. ἔρδουσᾱ μέγα ϝέργον.
ω 197. εὖθ' ἡ φᾶρος ἔδειξεν, ὑφήνασᾱ μέγαν ἱστόν.

Si spectamus ad formas femininas ἰάχουσα καῤῥέζουσα, quae ex ἰαχοντια, παῤῥεζοντια ortae sunt, in sanskritica lingua longa vocalis î vices Graecae terminationis ια gerit. Hoc „î" autem ex antiquiore „yâ" (iâ) ortum esse existimandum est cf. Schleicher: Compend p. 526. Itaque Boppio (Vgl. Gr. I § 119 p. 249) assentiri non possum, qui vocali α additamentum contineri dicit, quod, si leges ad vocum formationem spectantes sequimur, non iustum locum obtineat, (dicit: „*unorganischer Zusatz*"). Iam cum omnes voces feminini generis vocalem α in flexione masculino genere fortiorem praebuisse constet (cf. Schleicher: Compend. p. 518), non est, quod miremur, vocalem α tum, cum nominativum describit, antiquissimis temporibus etiam in eis vocibus productionem servasse, quae postea nobis offerunt α breve. Accedit, quod dialectus Dorica in magna vocum parte hoc α post vocales atque ρ productum servavit, quod Ionica lingua saepissime in η turbavit. Ut autem breve illud α, quod praebent praecipue illa nomina, quae desinunt in λα, σα, υια, αια, εια, οια cf. Krüger Gr. II p. 34. ex a producto prodiisse statuamus, nos movent duo argumenta. Primum enim easdem voces in η exeuntes invenimus cf.

εὔπλοια — εὐπλόιη; κνίσσᾰ — κνίσση.

Qua ex re colligere debemus, ᾰ ex â originem duxisse, cum η huius vocalis munere fungatur. Illud omitto, quod nomina in εια desinentia α interdum apud poetas Atticos productum praebuisse constat cf. Krüger l. c. p. 35.

Deinde in lingua Latina adhuc extant exempla, quibus „a" nominativi in eis vocibus, quae sunt feminini generis, quarumque stirps in „a" desinit, antiquissimis temporibus longae syllabae mensuram obtinuisse ostenditur. Sic apud Ennium (Annal. 148) „aquila" a productum praebet cf.:

„Et densis aquilâ pennis obnixa volabat"

idemque est in Plaut. Asin. 762:

„Ne epístulá quidem úlla sit in aedibus"

atque in Scipionum titulis invenis:

„Quoeí vitâ defécit, nón honós, honóre.

cf. Corssen: l. c. I p. 330 ss. Bücheler: *Grundriss der lat. Declination* p. 9.

Quae res cum ita sit, non dubito, quin ea sententia, quae breve illud α nominativi ex â producto prodiisse statuit, certo fundamento nitatur; quamobrem non est, quod miremur, apud Homerum certa vestigia relicta esse, quae si persequimur, hanc nostram sententiam firmare videntur; sic enim hiatus atque productiones, quas haec terminatio effecisse videtur, iustam habent excusationem.

Iam postquam eos locos tractavimus, ubi hiatus e firmiore natura vocalis „a" iustam repetit explicationem, ad eam sententiam adducimur, α finale tum sanskritico „a" respondere, cum ex antiquiore â ortum sit, quae productio in maxima parte earum vocum, quae huc referendae erant, literam nasalem post ᾰ amissam esse demonstrat.

Iam accedamus ad vocalem ε considerandam! Primum agemus de vocativo secundi flexionis ordinis, qui in ε desinit. Illud ε hiatum effecisse videtur, qui extat in caesura trochaica pedis tertii: cf. Hoffm. I p. 89.

Σ 385. τανύπεπλε, ἱκάνεις.

Cum in Iliade non invenerim locum, ubi syllaba brevis in literam consonam exiens ante ἱκάνω producitur, ad digamma non confugiendum esse puto, (cf. Curt. p. 128),

praesertim cum hic solus sit locus, ubi ἱκάνω in hiatu positum extat.

Tum huc refero:

Υ 20. Ἐννοσίγαιε, ἐμήν.

Idem ε in hiatu illicito invenitur: (cf. Hoffm. I, 92).

Β 8. βάσκ' ἴθι, οὖλε Ὄνειρε.

Eandem terminationem vocativi productam invenimus:

Δ 155. φίλε κασίγνητε̄, θάνατον
338. ὦ υἱὲ Πετεῶο
Ε 359. φίλε κασίγνητε̄, κόμισαι
Π 400. Ξάνθε τε καὶ Βαλίε̄, τηλεκλυτὰ
Φ 474. νηπύτιε̄, τί νυ τόξον

quas productiones, cum e vocibus, quae vocativum excipiunt, nulla excusatio repeti possit, Hoffmannus II p. 186 in numerum duriorum redigit.

Ante μέγας idem ε producitur:

Π 20. ὦ Ἀχιλεῦ Πηλέος υἱέ̄ μέγα φέρτατ' Ἀχαιῶν.

Ex exemplorum numero, quae modo attuli, vocalem ε natura firmiorem fuisse colligamus necesse est. Ut autem hanc firmitatem recte explicemus, confugiamus ad grammaticam sanskriticam. Panini, artis grammaticae princeps, nobis praecipit (I, 2. 27), omnes vocales esse aut breves, aut longas, aut „pluta;" „pluta" autem vocalis et longa et brevis nominatur, si eius pronuntiatio ita efficitur, ut loco unius aut duarum tres moras amplectatur. Hoc productionis genere, quod in lingua Indica „pluti" nominatur, (cf. Boehtlingk z. Panini II p. 503), saepissime formae vocativi utuntur, praesertim cum quispiam eodem Panini duce (cf. VIII, 2. 84) procul appelletur; cf. „devadattâ 3" (hoc signum vocali „a" tres moras inesse ostendit) pro „devadattâ." Vocativum autem huius productionis patientissimum esse, non est, quod miremur. Natura enim huius casus eo continetur, quod ille nomen interiectionis formam amplexum praebet. Itaque cum in lingua sanskritica vocativum in ᾰ desinentem hac ratione productum invenia-

mus, non dubito, quin eadem explicatione uti debeamus in lingua Graeca, ubi eandem terminationem productam invenimus. Quamobrem illos locos, qui ε productum exhibent, per se bene stare censeo. Idem iudicandum est de Ξ 356, ubi legimus:

πρόφρων νῦν Δαναοῖσι, Ποσείδαōν, ἐπάμυνε.

In hoc versu vocativi natura efficitur, ut syllaba „ον", pronuntianti longam vocalem ο praebeat. cf. p. 69.

Si autem Vocativus in ε desinens produci poterat, etiam hiatus, in quo hanc terminationem positam invenimus, iuste excusatur.

Omisi Γ 172, ubi legimus:

αἰδοῖος τέμοί ἐσσι, φίλε̄ ϝεκυρέ̄, δεινός τε.

Hoc enim loco productio vocativi φιλέ voce, quae sequitur, ἑκυρέ efficitur. Nam ϝεκυρός e σϝεκυρός ortum esse linguarum comparatione constat. cf. Curt. p. 126. Itaque ex hoc loco nihil de firmiore natura vocalis ε concludi potest; idem nobis statuendum est de productione syllabae ε in ϝεκυρέ̄.

Ut enim verbum δείδω easque voces, quae ad eandem radicem referendae sunt, δειμός, δεῖνος, δειλός, a binis literis consonis incepisse statuamus, monent nos certa argumenta e re metrica Homerica repetita, quae inspicias apud Hoffm. I, 142 et L. Meyer: K. Z. VII p. 194 ss. Literas autem initiales δϝ fuisse constat, cum sub verbo δείδω etc. eadem radix lateat, quae sub sanskritico verbo „dvish" occulta est cf. L. Meyer l. c. p. 195. Curtius enim (p. 585 cf. p. 212), qui δj literas initiales verbi δείδω etc. fuisse statuit, quominus sententiam meam teneam, me prohibere non potest, praesertim cum L. Meyer l. c. verbum graecum στυγέω excitet, quod idem valet, quod „odisse" et „timere." Id unum illi viro doctissimo concedo, vocem Zendicam „thwaêsha" (cf. Spiegel: *Beiträge zur vgl. Sprachforschg. etc.* II p. 219) ad radicem verbi δείδω statuendam non magni momenti esse posse, quod Zendicum „th" in lingua sans-

kritica tantum munere literae initialis „t" fungi constat. Praeterea autem mihi non neglegendum esse videtur adiectivum *θεουδής*, quod Buttmannum (Lexil. I p. 170) secutus abea radice, quae sub verbo *δείδω* latet, non segregandum esse puto. Ut enim *δοῦρα* e *δόρϝα*, *γοῦνα* e *γόνϝα*, *νεῦρη* e *νέρϝη* (cf. nervus) *νοῦσος* e *νόσϝος* (cf. skr. naç-vas), *παῦρος* e *πάρϝος* (cf. parvus) orta sunt, ita etiam *θεουδής* e *θεοδϝής* originem duxit. Alia ratione diphthongus *ου* non recte explicatur. Quam ob rem probare non possum ea, quae Düntzerus de origine huius adiectivi disputavit, cum antiquam derivationem a *θεός* et *ἀδεῖν* firmare conetur cf. K. Z. XIII p. 16. Adiectivum *δεινός*, quod in Iliade locis nonaginta septem legitur, *Γ* 172 excepto, literam duplicem poscit *Κ* 254. 272. *Λ* 10. *Φ* 25, quibus locis brevis syllaba in vocalem exiens ante *δεινός* producitur, eamque admittit in initio versus: *Γ* 342. *Ε* 439. 739. 742. *Ζ* 182. 470. *Η* 346. *Θ* 135. *Λ* 37. 654. *Ν* 100. *Ξ* 385. 401. *Ο* 13. *Π* 566. 706. 789. *Ρ* 211. *Σ* 226. *Τ* 17. *Υ* 56. *Φ* 240. *Χ* 134. *Ψ* 688. 815; praeterea literae duplici non impedimento sunt *Λ* 200. *Ε* 741. 839. *Ζ* 380. 385. *Ζ* 394, ubi *δεινός* longam syllabam excipit, et *Γ* 337. *Δ* 514. *Η* 245. 266. *Λ* 42. 418. *Ξ* 415. *Ο* 38. 481. *Π* 138. *Υ* 259. ubi brevis syllaba in literam consonam desinens adiectivo *δεινός* antecedit. Uno tantum loco (*Ο* 626) literae initiales *δϝ* metricam efficiunt difficultatem, quae removetur, si legimus:

ἄχνῃ ὑπεκκρύφθη, ἀνέμου δὲ δϝεινὸς ἀήτη.

Itaque productio vocalis *ε* in *ἐκρέ* literis *δϝ*, a quibus *δεινός* inchoavisse constat, iuste excusatur.

Tum nobis agendum est de particula *δέ*, quam et in hiatu positam et productam saepissime apud Homerum invenimus.

Hiatus enim extat in thesi pedis primi: cf. Hoffm. I p. 91.

Λ 767. *νωὶ δὲ ἔνδον* (cod Venet.)

Idem est in caesura trochaica pedis primi: cf. H. I, 91.

B 165 }
181 } μηδὲ ἔα νῆας ἅλαδ' ἑλκέμεν ἀμφιελίσσας.

Si consideramus, hunc versum eo tempore ortum esse, ubi litera initialis „s" in ἅλς vim suam nondum prorsus amiserat cf. p. 77, non est, quod miremur, etiam vocalem ε in hoc versu firmiorem naturam servasse.

Tum huc refero:

I 319. ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ

ἰά digammo non erat instructum. Cum enim supra demonstraverimus, μία e σαμία ortum esse (cf. p. 79), illa sententia, quam ei amplectuntur, qui μία e ϝία, cuius formae digamma nullo modo firmatum est, originem duxisse dicunt, certo caret fundamento cf. L. Meyer: K. Z. VIII p. 139.

Quamobrem probare non possum Pohlium p. 16 l. c. et Savelsbergium l. c. prs. II p. 31, qui viri docti ἰὰ litera Aeolica instructum offerunt.

Hiatus illicitus extat: cf. Hoffm. I p. 93.

E 310. }
Λ 356. } γαίης ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψεν

Ω 528. δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.

Postremo huc referendum esse puto δε demonstrativum, quod hiatum effecisse videtur in caesura trochaica pedis tertii:

Γ 442. ὧδε ἔρως (Bekker: ὧδε γ' ἔρως).

Hiatus illicitus extat:

Γ 46. ἦ τοιόςδε ἐὼν cf. H. I p. 92.

δὲ adversativum productum habemus:

Λ 378. — ὁ δὲ μάλα ϝηδὺ γελάσσας
O 478. ὣς φάθ' ὁ δὲ τόξον
Π 373. Τρωσὶ κακὰ φρονέων. οἱ δὲ ϝιϝαχῇ τεφόβῳ τε.

quas productiones Hoffmannus I p. 163 in numerum duriorum redigit.

Praeterea ante voces a literis liquidis inchoantes saepissime haec particula producitur:

a) ante μέγας:

Β 196. θυμὸς δὲ μέγας ἐστι.
Ε 27. Τρῶες δὲ μεγάθυμοι.
Λ 459. „ „ „
Φ 328. Ἥρη δὲ μέγ' ἄυσε.
Β 43. — περὶ δὲ μέγα βάλλετο φᾶρος.
Γ 125. — ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινεν.
Ι 255. — συ δὲ μεγαλήτορα θυμόν.
274. — ἐπὶ δὲ μέγαν ὅρκον ὀμεῖται.
537. } ἀάσατο δὲ μέγα θυμῷ.
Λ 340. }
Φ 519. — οἱ δὲ μέγα κυδιόωντες.
Χ 163. — τὸ δὲ μέγα κεῖται ἄεθλον.
Ψ 119. — ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι.

b) ante μάστιξ:

Τ 395. — ὁ δὲ μάστιγα φαεινήν.

c) ante μελιηδέα:

Ρ 17. μή σε βάλω, ἀπὸ δὲ μελιηδέα θυμόν.

d) ante λίσσεσθαι:

Ι 520. ἄνδρας δὲ λίσσεσθαι.
574. — τὸν δὲ λίσσοντο γέροντες.

e) ante λέων:

Ο 592. Τρῶες δὲ λείουσι ϝεϝοικότες.

f) ante λίπα:

Ξ 171. — ἀλείφατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ.
Χ 406. ἀπὸ δὲ λιπαρὴν ἔῤῥιψε καλύπτρην.

g) ante λίθος:

Μ 459. — πέσε δὲ λίθος εἴσω.
Φ 351. — καίετο δὲ λωτός.

quas voces a binis literis inchoavisse etymologia non demonstratur.

δὲ demonstrativum productum vidi:

λ 373. νύξ δ' ἥδε̄ μάλα μακρή.

Si de origine particulae δὲ quaerimus, mihi persuasum est, huic particulae adversativae intimum conexum intercedere cum illo δὲ, quod ad notionem demonstrativam augendam atque amplificandam pronominibus ὁ atque τοῖος affigitur. Illud δὲ autem in ὅδε etc. idem esse, atque affirmativum δή, Ahrensius (K. Z. VIII p. 355 ss) demonstravit, quamquam eam viam, quam ille V. D. ingressus est, ad etymologiam particularum δή, δέ investigandam, deserendam esse puto. Ut opinor, δη, δε particulae ad stirpem pronominis demonstrativi „ta" referendae sunt, quam etiam amplectitur sanskriticum „tu" (cf. L. Meyer VIII, 146). Itaque cum δέ adversativum atque δέ demonstrativum ad eandem stirpem pertinere putem, non dubito, quin particula adversativa antiquissimis temporibus longam vocalem praebuerit, cum in dialecto Dorica adhuc servatum habeamus ὅ δή pro ὁ δέ cf. Ahrens. Diall. II p. 272.

Si autem δὲ e δή debilitatum esse constat, hanc particulam in antiqua epica poesi longae syllabae mensuram obtinuisse veri simillimum est; sic metricae istae difficultates, quae vocabulo δε efficiuntur, iustam habent excusationem. Tum accedamus ad particulas γε et τε.

Hiatus extat in caesura trochaica pedis tertii: cf. Hoffm. I p. 89:

Ω 784. τοί γε ἀγίνεον.

Idem est in fine pedis quarti: cf. Hoffm. I p. 90.

E 542. Κρήθωνά τε Ὀρσίλοχόν τε.

Hiatus illicitus invenitur: cf. Hoffm. I p. 92.

B 90. αἱ μέν τ' ἔνθα ϝάλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα
P 392. κυκλόσ', ἄφαρ δέ τε ἰκμὰς ἔβη.

Cum non inveniatur locus, ubi ante ἰκμάς productio brevis syllabae in literam consonam desinentis extat, confugere non licet ad literam s initialem, e qua spiritum lenem in ἰκμάς originem duxisse constat cf. Curt. p. 127.

γε productum habes:

λ 391. κλαῖε δ' ὅ γε̄ λιγέως.

τε productum vidi: a) ante μινύθω.

Y 242. ὀφέλλει τε̄ μινύθει τε.
cf. Hoffm. I, 163. II, 186.

b) ante μέγας:

Γ 221. τε̄ μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει.
Δ 265. } 541. } τε̄ μεγάλοισι τε χερμαδίοισιν.
B 58. εἶδος τε̄ μέγεθος τε.
O 381. οἱ δ' ὥς τε̄ μέγα κῦμα.
Δ 161. σύν τε̄ μεγάλῳ ἀπέτισαν.

c) ante λίς, quam voceum e λϝίς ortam esse, (id quod Curtius suspicatur p. 328), etymologia nullo modo demonstratur.

Δ 239. } *P* 109. } *Σ* 318. } ὥς τε̄ λίς.

d) ante λιταί:

I 502. καὶ γάρ τε̄ λιταί εἰσὶ Διός.

e) ante σεύω:

Ψ 189. ὕλη τε̄ σεύαιτο καήμεναι.

Idem τε, quod invenimus in ὅτε, ὁπότε, producitur:

I 191. ὁπότε̄ λήξειαν ἀείδων.
Ξ 327. οὐδ' ὁπότε̄ Λητοῦς.
P 463. ὅτε̄ σεύαιτο διώκειν.

Cum productionibus, quae inveniuntur *P* 463 et *Ψ* 198, tum duplice σσ, quod habemus in ἔσσυμαι etc., moti multi viri docti verbum σεύω a duobus literis consonis incepisse dicunt. Ita Ahrens: Gr. Formenl. § 158 et Hoffmannus § 89. I p. 156, σεύω e σϝεύω originem duxisse firmant, cum Ebelius (K. Z. I p. 301), ad radicem sanskriticam „cyu“ confugiens, σεύω a σj incepisse demonstrare conetur; quam derivationem maxime esse incertam iam iudicavit Curtius p. 342.

De duplici σσ in ἔσσυμαι idem statuendum est, quod de duplici λλ et μμ in ἔλλαβε et ἔμμαθε cf. Curt. p. 466. p. 622; falsa enim imitatione adiuvante etiam in his vo-

cibus, quas numquam a binis consonis incepisse constat, litera initialis duplicabatur. Ita etiam in lingua Latina s duplicatum invenimus, ubi ex etymologia nihil auxili afferri potest; cf.:

caussa — causa.
Cossinius — Cosinius.

inter quarum formarum pronuntiationem non multum interfuisse Corssen l. c. I p. 116 demonstravit. Duplex s in lingua Latina tum solum iustam habet excusationem, cum invenitur in eis vocibus, quarum stirps in „d" et „t" desinit cf. rissu pro risu (rid-eo); idem est, cum s e r ortum esse constat, cf. russum — rursum. Itaque cum duplex σσ in ἔσσυμαι nos movere non possit, σεύω eodem modo, quo χεύω a radice skr. „ghu" (L. Meyer: Vgl. Gr. I, 414). ϑεύω a radice „dhu" (l. c. 415) στεῦται a radice „stu" (K. Z. XIV p. 86) non segreganda sunt, ad radicem sanskriticam „su" refero. Radix autem „su", a qua supra nomina „Savitar" et „Saturnus" derivanda esse ostendimus, notionem gignendi et animandi, describit, quacum bene conciliari potest significatio incitandi, („*Einen beleben zu*"), quae inest verbo σεύω; cf. *O* 681 σεύας sc. ἵππους i. e. equos incitans; atque Ψ 198, quem locum sic vertamus necesse est: „ut materia incitaretur ad ardendum." Deinde σεύω idem sentit, quod verbum διώκω et ὀρίνω; ita ut medium idem valeat, quod „celeriter se movere, currere, properare;" quomodo autem medium a motu corporis profectum etiam animum rem maximo studio petentem describere possit, demonstravit Fulda: Untersuchg. p. 75. Quamobrem productionem syllabae τε firmiore natura vocalis ε contineri ostendemus.

Ut particulas τε et γε antiquissimis temporibus longam vocalem praebuisse demonstremus, ad dialectum Doricam confugiamus necesse est. Hîc enim formas γα et κα (κα autem idem est quod τε cf. Curt. p. 428. cf. ὅκα = ὅτε, τόκα = τότε) adhuc servatas invenimus; γα autem

et *κα* i. e. *τε.* particulis sanskriticis „ca" et „gha" comparanda sunt. Iam cum constet, Graecum *α* finale tum sanskritico „a" respondere, cum duae illae vocales ex a producto ortae sint, non solum sanskriticae sed etiam Graecae linguae has formas longam vocalem „a" prae se ferentes vindicemus necesse est; linguae Indicae si rationem habemus, adhuc „ghâ et câ" in hymnis vedicis leguntur, cf. Kuhn. XV p. 403, qua ex re videmus gha et ca e ghâ et câ orta esse; linguam Graecam si respicimus, istae productiones, quas supra attuli, vocalem „*ε*" ex a ortam, antiquissimis temporibus in dialecto Homerica longam fuisse nobis ostendunt, qua ex re, lingua Indica adiuvante, perlucide apparet, *ε* productum ex a producto originem duxisse. Praeterea Latina particula „que", quae eiusdem osiginis est ac „*τε*" (cf. Curt. p. 428), in nostra quaestione nobis non est neglegenda. Non enim solum in antiqua Latinorum poesi, sed etiam apud poetas, qui Augusti temporibus florebant, „que" productum invenimus, ita ut forma producta huius particulae antiquior habenda sit cf. Corssen l. c. I p. 336. 337.

Quae argumenta si consideramus, etiam apud Homerum vocalem *έ* in *τε* et *γε* longae syllabae mensuram obtinuisse quin statuamus, nulla re impedimur, praesertim cum hac explicationis via iustum auxilium afferatur metricis istis difficultatibus, quas *τε* et *γε* effecisse videntur.

Tum animum advertamus ad accusativos *με* et *σε*, quos in hiatu invenimus:

a) in fine pedis primi: cf. Hoffm. I, 92.

Υ 152. *ἀμφὶ σέ, ἤιε Φοῖβε.*

b) in caesura trochaica eiusdem pedis

P 16. *τῶ με ἔα.*
X 339. *μή με ἔα.*

c) in caesura trochaica pedis secundi, qui hiatus illicitus est cf. Hoffm. I, 93.

T 288. ζωὸν μέν σε ἔλειπον.

με et σε producuntur:

a) ante σῦς, quam vocem numquam a σϝ incepisse constat; quamobrem Hoffmanno I, 156 assentiri non possum.

φ 219. οὐλὴν τήν ποτέ μὲ σῦς.

b) ante μάλα.

λ 520. ὁ δέ μὲ μάλα πόλλ' ἱκέτευεν.

c) ante μελιηδής.

τ 551. ὣς ἔφατ' αὐτὰρ ἐμὲ μελιηδής.

d) ante μέγας.

A 455. τίμηςας μὲν ἐμέ, μέγα.

X 88. ἄνευθε δέ σὲ μέγα νῶιν.

Etiam hos accusativos antiquitus longam syllabam praebuisse linguis cognatis adiuvantibus ostendere possum. Cum enim in dialecto Dorica μα pro με inveniamus (cf. Boeckh. Inscr. No. 31), hoc μα e μᾶ ortum esse ut dicamus, monent nos formae vedicae mâ et tvâ, quas accentu carentes pro „mâm" et „tvâm" scribi nobis pro certo habendum est; nam Graecum α tum sanskritico „a" respondere, cum ex antiquiore „â" ortum sit, iam supra demonstravimus. Accedit aliud argumentum. In lingua enim Latina inveniuntur exempla, quibus formas „me" et „te" non solum tum cum ablativum describunt, sed etiam cum accusativi munere funguntur, longae syllabae mensuram servasse satis certe ostenditur cf. Corssen l. c. I, 334. Bücheler: Lat. Declinat. p. 25. L. Meyer: Gedrgt. Vglchg. der gr. u. lat. Declinat. p. 24. Itaque non dubito statuere, etiam in Graecorum lingua antiquissimis temporibus accusativos με et σε productos se praestitisse, cum e μᾶ et τϝᾶ(τα) ortae sint. Hac ratione iste hiatus atque productiones, quas με et τε patiuntur, rectam habent excusationem.

Postremo dualem numerum in hiatu positum invenimus:

E 12. τώ ϝοι ἀποκρινθέντε ἐναντίω

cf. Hoffm. I p. 88. Idem fit in fine pedis quarti (Hoffm. I p. 90).

B 218. συνοχώκοτε' αὐτὰρ ὕπερθεν.

Tum huc referrem productionem, quae extat *Π* 556. Αἴαντε̄, νῦν, nisi νῦν a duobus literis (σν) consonis inchoavisse verisimillimum esset. Alio loco hanc dualis productionem productam non vidi.

„*E*“ dualis firmiore natura praeditum fuisse, ita ut hiatum ferre posset, iam inde apparet, quod hoc ε ex a producto originem duxit cf. Schleicher: Compend. p. 538. Accedit, quod in lingua vedica eundem casum dualis in â exeuntem invenimus, quod postea in „au“ transiit (cf. Bopp. Vgl. Gr. I § 208 p. 413); atque si rationem habemus lingua Zendicae, hîc iam â in eo erat, ut paulatim in a breve mutaretur. Ita fit ut legamus et „açpa“ (duo equi) et yemâ (gemelli).

Quamobrem non mirum mihi esse videtur, quod apud Homerum inveniuntur exempla, quibus linguam literae ε antiquitus tantam vim et auctoritatem tribuisse ostenditur, ita ut hiatus, qui invenitur *E* 12 et *B* 218, nobis offensioni esse non possit. Hoc loco non nobis neglegenda est antiquior dualis forma δύω, quam una cum δύο in Graecorum lingua servatam habemus.

Iam postquam eos locos tractavimus, ubi hiatus e firmiore natura vocalis ε iustam nanciscitur excusationem, etiam e carminibus Homericis certa argumenta repeti posse intellegimus, quibus ε tum cum in fine vocum invenitur, atque ν ephelkystico fulcro uti non debet, ex antiquiore „â“ prodiisse ostenditur.

Nunc quaestione nostra de hiatu ita, ut nobis proposueramus, ad finem perducta, ex eis exemplis, quae Hoff-

mannus I p. 88—93 attulit, non unum reliquum est, quod hiatus ratione habita iusta excusatione careat. Intelleximus, hiatum una cum productionibus brevium syllabarum nobis ostendere viam munitam, qua ad antiquiorem linguae condicionem adducimur, in qua et literae spirantes in initio vocum nondum e linguae memoria evanuerant, et terminationes firmiorem naturam servaverant; atque hanc solam viam esse ineundam ad hiatum recte explicandum iam inde apparet, quod non movemur ut duo genera hiatus fuisse statuamus; Hoffmannus enim hiatum et iustum e illicitum in carminibus Homericis inveniri firmat, quam sententiam non bene stare demonstravimus, cum easdem voces atque terminationes, quae in iusto hiatu positae inveniuntur, etiam hiatum illicitum effecisse viderimus. Accedit, quod maxima pars earum vocum earumque terminationum, quae in hiatu extant, etiam productas se praestant, qua ex re in antiqua epica poesi vocum formationem fortiorem atque firmiorem fuisse colligere debemus. Si spectamus ad productiones brevium syllabarum, Duentzer (*N. Jahrbücher für Phil. und Pädag.* 95. u. 96. Bd. Heft 6. p. 354—376) omnes productiones arsis auctoritate excusari nuper demonstrare conatus est. Illius viri docti disputatio iam postquam hanc meam dissertationem ad finem perduxi, mihi in conspectum venit, ita ut singularum rerum, de quibus ille v. d. egit, rationem habere non possem. Metri causa autem syllabam brevem produci posse, id quod Duentzer statuit, nego, cum poeta antiquioris epicae poesos, in qua brevem terminationem longae syllabae mensuram obtinentem invenimus, eam linguae condicionem nobis offerat, in qua etiam eae syllabae, quae postea semper breves erant, antiquiorem linguae usum imitatae et longas et breves se praestare poterant (cf. *δύω — δύο*) cf. Rossbach u. Westphal. Metr. II p. 281 ss. De hac re nihil aliud iudicandum est, ac de re metrica, qualis est apud Plautum, quem, priusquam grammatica

historica longas syllabas apud hanc poetam antiquiores formas prae se ferre statuerat, metri causa breves syllabas in longas mutavisse, viri docti putaverunt. Eadem autem via hiatum et productiones brevium syllabarum apud Homerum explicandas esse, mihi persuasum erat, praesertim cum in carminibus Homericis multas dicendi formulas ex antiquiore epica poesi repetitas, inveniri pro certo habeamus, quae explicandi ratio utrum certo nitatur fundamento, necne, viri docti diiudicent!

E r r a t a.

p. 3 1	lege :	cognatarum	pro	eognatarum.
p. 5 32	»	hac	»	hae.
p. 8	»	protulit	»	protulis.
p. 22 Nota 2	»	p. 59	»	p. 56.
p. 29 30	»	productum	»	prodnctum.
p. 30 28	»	p. 97	»	p. 94.
p. 38 24	»	coniectura	»	coniecrura.
p. 43 Nota	»	p. 93	»	p. 84.
p. 59 25	»	svârâ	»	svâvâ.
p. 63 6	»	svârâ	»	svâvâ.
p. 69 32	»	p. 131	»	p. 124.
p. 75 8	»	praeditam esse	»	praeditam, esse.
p. 76 9	»	p. 117	»	p. 109.
p. 83 15	»	encliticum	»	enclitîcum.
p. 103 18	»	Naeke	»	Nacke.
p. 118 26	»	secutas	»	secutss.

Bonnae, formis Caroli Georgi.